V1836

THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
LIBRARY
881
E45
1865

Vahlen Library
1913

CLASSICS
DEPARTMENT

GEBUNDEN BEI
G. RAUTTER
WIEN STADT 671

GEBUNDEN BEI
G. RAUTTER
WIEN STADT 671

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/erotianivocumhip00erot

Herrn Prof. Dr. Vahlen
hochachtungsvoll
d. Vf.

EROTIANI

VOCVM HIPPOCRATICARVM CONLECTIO

EROTIANI

VOCVM HIPPOCRATICARVM CONLECTIO

RECENSVIT EMENDAVIT FRAGMENTAQVE ADIECIT

IOSEPHVS KLEIN

LIPSIAE
SVMPTIBVS LIBRARIAE DYKIANAE
MDCCCLXV

TYPIS FRID. KRVEGERI BONNENSIS

881
E45 Classics
1865

5 Oc 15 4.M.F.

PRAEFATIO

Erotiani lexicon dictionis Hippocraticae, bonae frugis librum, quippe nec facile parabile nec satis emendatum, plus iusto a communi usu et utilitate impediri semper aegre tuli. cum igitur ante duos fere annos totus in critico nouae editionis instrumento conquirendo conquestoque digerendo uersarer, subito nuntius ad me adferebatur me in Ermerinsii Batavi prouinciam inuasisse et quae parare inceperim illum paene iam absoluisse. uerum tamen res praeter opinionem prospere euenit. interrogantem enim quid rei esset medicus ille *φιλολογώτατος*, ut eum summo iure nuper Francken nominauit, non modo non ab incepto me reuocauit sed cunctis quae ipse congesserat eximia qua est humanitate et comitate transmissis etiam per omne tempus, quo exornanda editione occupatus eram, consiliis et emendationibus communicandis magnopere adiuuit. splendidissimum autem munus, quod mihi dedit, sunt fragmenta lexici Erotianei, quae in marginibus codicum Vaticani, Urbinatis et Laurentiani excerpta a Cobeto dono acceperat. qui factum est, ut nostram opellam in Erotiano conlocatam uellemus bipartitam esse. primum enim in prolegomenis exposuimus de Erotiani uita et scriptis, de lexici condicione et fontibus, denique de ratione, quam in textu cum fragmentorum tum lexici ipsius

266846

recensendo secuti sumus. deinde Erotiani uerba, quibus fragmenta praemisimus, ex codicibus magnam partem a nobis primum excussis emendata exhibuimus, additis et scripturae discrepantia et uirorum doctorum coniecturis, ita ut iam parata sint unde ea quorum emendatio nobis nondum contigit restaurari possint. rerum autem interpretatione prorsus abstinuimus satis fecisse lectoribus rati, si scriptorum locos adnotassemus unde qui de iis plenius doceri uellent adcuratiorem notitiam haurirent. indices denique tum auctorum tum uerborum et rerum locupletissimos ipsi confecimus.

Super igitur est, ut omnibus uiris doctis, qui nostra studia beneuolentia aut subsidiis fouerunt et adiuuerunt, gratias quantas possum maximas etiam publice agam et, cum mecum considerem quantopere labor meus a perfectione abhorreat, id quod me ipso nemo scit melius, ut eos rogem in primis autem Zachariam Ermerins, ne eos subsidiorum mihi praebitorum poeniteat.

DABAM BONNAE MENSE AUGUSTO A. MDCCCLXV.

PROLEGOMENA

CAPUT I.

De auctoris nomine, cui τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγή adscribitur, uiri docti multum haesitauerunt uariasque de uera nominis forma protulerunt sententias. si quidem non nulli eum Herotianum,[1]) Hugo Grotius (cf. Gatakeri aduers. miscellan. p. 138 ed. Londin.) Erotionem, Aldus Erotinonem, Isaacus denique Vossius ad Catull. p. 91 Herodianum nuncupauerunt. attamen prorsus nulla harum opinionum ueri speciem prae se fert, modo duas excipias. altera quam dico est Aldi, qui Erotinonem glossarii auctorem adpellari arbitratus est a uerbis Galeni gloss. Hippocr. u. κάμμορον p. 490 Franz profectus: ὅθεν καὶ Ἐρωτιανὸς οὐ μόνον αὐτὸ τὸ ζῷον κάμμορον ἀλλὰ καὶ τὸ περικείμενον αὐτῷ βρύον οὕτως ὀνομάζεσθαί φησι. sed in his uerbis, quae non solum corrupta uerum etiam lacunosa sunt, iam dudum Ἐρωτιανός, ut exhibui, e codicibus Doruilliano et Mosquensi pro lectione, quae olim circumferebatur, Ἐρωτινῶν aut Ἐρωτινός[2]) a Franzio receptum est. neque firmiori fundamento superstructa est altera coniectura, quam Vossius protulit. is enim, quia in Etymologico magno p. 86, 57 sq. s. u. ἄμπωτις[3])

1) Ita certe in codice Carpensi nomen legisse uidetur Philippus Labbeus biblioth. nou. mss. p. 385 haec adnotans: '*Herotiani lexicon uocum Hippocratis per alphabetum.*'

2) Alii Ἡρόφιλος legere uoluerunt, ut Foesius oecon. Hippocr. s. u. κάμμορον p. 304 et Marsilius Cagnatus uar. obseruat. II 28, qui hoc Galeni loco opinionem suam fulcire studuit, glossarium Erotianeum spurium neque ab Erotiano conscriptum esse.

3) Forte fortuna haec uox hodie in lexico Erotiani edito non extat.

legitur: '... κυρίως [δὲ] λέγεται ἡ ἀναχώρησις τῆς θαλάσσης, ἤγουν ἡ ἀναπινομένη θάλασσα. ἐκ τοῦ πῶμι πώσω, πῶσις καὶ ἀνάπωσις καὶ ἄμπωσις κατὰ συγκοπήν· καὶ τροπῇ, ἄμπωτις.[4]) καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἡμετέρου σώματος ἡ ἐκ τῆς ἐπιφανείας εἰς τὸ βάθος ὑποχώρησις τῆς ὕλης. οὕτως Ἡρωδιανὸς[5]) ἐν τῷ περὶ ἐξηγήσεως τῶν λέξεων Ἱπποκράτους,' Herodianum, Apollonii Dyscoli filium, uerum lexici auctorem esse censuit. ac sane, cum Herodianus 'scriptorum pelagus' reliquisset, ut testis est Priscianus instit. gramm. I 4 p. 2 ed. Hertz, perapte quispiam de singulari celeberrimi grammatici scriptione potuit cogitare, qua obsoletiora librorum Hippocraticorum uocabula explicauerat. uerum tamen Dyscoli filium hanc prouinciam in se suscepisse ideo ex Etymologo concludi nequit, quia glossarium Andromacho cuidam archiatro inscriptum est, quem primo p. Ch. n. saeculo exeunte uel ineunte altero uixisse oportere postea uidebimus, contra ea Herodianus aetate posterior Marco Antonino imperatore Romae floruit. si autem Herodianus re uera in hoc genere desudasset, Galenus, quem ab anno 131 ad Septimii Seueri usque principatum uixisse ueri est simile,[6]) eum pro ea qua apud ueteres fuit auctoritate in glossarii prooemio, ubi interpretes Hippocratis qui antecesserunt dinumerat, certe commemorare debuit. sed ibi nunc nec uola eius emicat nec uestigium. ei igitur, qui usquequaque Herodianei nominis memoriam tueri uolt, nihil relicuum est quam ut glossarii auctorem, id quod HEMeiero comment. Andocid. VI 3 p. XXI non displicuisse uidetur, a claro illo grammatico distinguat. equidem uero grauioribus causis permoueor, ut in JAFabricii biblioth. gr. IIII 38 t. VI p. 234 ed. Harles sententiam

---

4) Uerba ἐκ τοῦ πῶμι usque ad καὶ τροπῇ, ἄμπωτις Etymologus, ut manifestum est, de suo addidit, ut specimen doctrinae ederet. cf. Naber prolegom. ad Phot. lex. p. 167 sq.

5) Idem testimonium de uocabulo ἄμπωτις Herodiano auctori denuntiatur a Basilio in scholiis ineditis ad Gregor. Nazianz. orat. XXXII p. 524; cf. Boissonadei anecd. gr. uol. II p. 428.

6) Cf. Suidas s. u. Γαληνός: ἐβίω ἔτη ο'., JCGAckermannus hist. litt. Galeni ante Galen. t. I p. XXXI ed. Kuehn.

pedibus ut aiunt transeundum esse ducam, qui in Etymologici loco Erotiani nomen in notius illud Herodiani[7]) a librario deprauatum atque Erotianum lexici auctorem esse autumauit. Etymologici enim locus iisdem paene uerbis, omissis illis 'οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἐξηγήσεως τῶν λέξεων Ἱπποκράτους' una cum permultis aliis scholiis ad marginem codicum Hippocratis Vaticanorum et Parisinorum repertus est: quae omnia ad Erotianum (fr. VIII) auctorem referenda esse copiosius postea demonstrabimus. Erotianum porro agnoscit Galenus l. s. c. p. 490, qui eum cum Zenone Herophilio et Zeuxide in partes uocat: quo loco, ut supra monui, Erotiani sententiam lacuna hausit. cf. Erotian. p. 85 sq. omnem denique scrupulum de uero auctoris nomine nunc eximunt libri ἐξηγήσεως manu scripti, qui unanimi consensu harum λέξεων auctorem Erotianum[8]) 'probo graecoque nomine' adpellant.

Erotianus quo oppido quo genere natus sit nescimus, quo autem tempore uixerit, adhuc aliquo modo definire licet, quoniam ipse opusculum suum Andromacho cuidam, quem ἀρχιατρόν[9]) nominat, dedicauit et commendauit praefat. init. p. 29 cf. fragm. LXXXI. Andromachi autem in nostram notitiam peruenerunt duo, pater et filius, quorum ille, qui tres libros de uiribus medicamentorum conposuit, primus[10]) et Andromachorum solus hac dignitate honoratus esse perhibetur. cf.

7) Frustra igitur est JFoltzius quaest. Herodian. Bonnae 1844 p. 4, qui hoc Etymologici magni loco nisus talem scriptionem Herodianeis adicere uoluit, iniuste Lehrsium inculpans quod eam omisit n. rhein. mus. II 120 sq.

8) 'Erotianus' est in inscriptione Rauennati, quam ex Rubei historia publicauit Gruter thes. inscript. 393, 1. 'Erotiane' ibidem 1052, 3.

9) De titulo ἀρχιατρός et eius significatione cf. HMercurialis uar. lect. IIII 1 (Venetiis 1593) p. 80a sq. Oliuierius ad marmor. Pisaur. p. 152 et in primis Ackermann '*erläuterungen der wichtigsten gesetze, welche auf die medicinal-verfassung bezug haben*' in Pylii repertorium für die öffentliche und gerichtliche arzneiwissenschaft II 182 sq.

10) Si uero scholiis ad Juuenal. sat. X 221 p. 327 Jahn fides habenda est, Themison, Asclepiadis Bithyni auditor et sectae methodicae conditor, qui Pompeii tempore uixit, (Galen. εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός c. 4 t. XIIII 684 K. Celsus praef. p. 2 ed. Daremberg, Plinius n. h. XXVIIII 1, 6) iam archiatri titulo usus est.

Galen. de antidotis I 1 uol. XIIII p. 2 K. (ὁ Νέρωνος ἀρχιατρός), Le Clerc histoire de la médecine p. 585 sq. qui cum Neronis medicus esset, inde plurimi Erotianum huius Andromachi aequalem fuisse Neronisque temporibus uixisse concluserunt, inter quos nomino Baehrium in *Ersch. u. Gruber. encyclopaedie* s. u. Erotianus sect. I. p. 37 p. 343 et Graefenhanium *geschichte der klass. philologie im alterthum* t. III p. 178. sed hi rem nimis presserunt. 'an enim Epaphroditus eodem ictu cum Nerone Andromachum sustulit nec ad eum superstitem post interemptum principem Erotianus scribere potuit?' mirum ni potuit neque a ratione naturae humanae est absonum Andromachum quadraginta uel quinquaginta annos, cum Nero de medio sublatus sit, agentem aliquot annos superuixisse. sed utut est, huic Andromacho libellum dedicasse Erotianum adsumere graui ratione prohibebimur, quae cum illa sententia pugnat. etenim Erotianus s. u. ἄμβην p. 52, 14 Menestheum Stratonicensem, qui discipulus Stratonici erat, commemorauit. Stratonicus uero, Sabini Hippocratici auditor, cum in praeceptorum numero, quorum scholas frequentauerat, a Galeno de atra bile c. 4 uol. V p. 119 K. nominetur, et Galenus ipse anno demum post Chr. n. 131 in lucem editus sit, inde nihil plus probabilitatis habet quam Erotianum ineunte demum saeculo altero aut extremis saltem annis primi συναγωγὴν λέξεων conscripsisse. cumque Andromachum patrem ad Traianum usque imperatorem uitam transduxisse a me impetrare non possum quin credam, idcirco Erotiani uerba non de patre sed de filio intellegenda esse statuere non dubito: id quod Paulus Cigalinus quoque fecit in lectione altera de Plinii fide et auctoritate, quae Franzianae Plinii editionis tomo secundo inserta est, p. CXXIX sq. nihilo tamen setius futuros quidem esse non ignoramus, qui λέξεις ad patrem non ad filium dirigi contendant, quandoquidem ille ἀρχιατρός adpellatus sit, hunc nemo auctorum ueterum ita uocitauerit. atqui qui filium hac dignitate [11]) honoratum esse

11) Andromachum filium quoque Neronis archiatrum fuisse adseuerarunt IAFabricius, Sprengel *gesch. der medicin* 3te aufl. t. II p. 80, Ackermann institutiones hist. med. p. 387: quod unde sumpserint, prorsus non adsequor.

scribat tametsi nemo est, nequaquam inde iam efficitur eum archiatri munere functum non esse. immo uero quem ad modum neque Galenus a patre filium expressis uerbis distinguit neque patrem ab eo intellegi sciremus nisi si eum antidota conscripsisse alibi dixisset, ita Erotiani uerba non minus de filio quam de patre accipi queunt. quid igitur equidem uerum esse rear, iam supra significaui. sed hactenus de tempore, quo Erotianus uixit scripsitque.

Iam uero ut ad scripta Erotiani transgrediamur, nunc manibus tenemus librum, cui inscriptum est *τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγή*: quam Galenus,[12]) Photius,[13]) Etymologici magni quod dicitur auctor[14]) et Gregorius Corinthus[15]) ex antiquis, renascente uero litterarum studio Phauorinus idoneam iudicauerunt, quam de uocabulis medicis consulerent. praeter eam alios quoque libros Erotianus conposuit aut conponere certe in animum induxerat. namque duos illos, de quibus in lexico loquitur, utrum re uera in lucem emiserit an non emiserit, non proditum est. nunc quidem, nisi in bibliothecarum umbris adhuc delitescant, eorum prorsus nullum super est uestigium. scripta enim, quae uere Hippocratis nomine circumferebantur, enumerans Erotianus dicit se alio loco demonstraturum esse prorrhetici libros primum et secundum ab Hippocrate non profectos esse, (prooem. p. 36, 7) *προρρητικὸν α̅ καί β̅· ὡς οὐκ ἔστιν Ἱπποκράτους ἐν ἄλλοις δείξομεν.* alter locus est apud Erotianum p. 83, 12, ubi cum Hippocratem tum Dioclem in significatione uocabuli *κοτυληδόνες* enucleanda errasse alias se ostensurum esse promittit: *ὅτι δὲ ψεῦδος παραδεδώκασιν, ἀλλαχόσε δείξομεν.* unde mihi adparere uidetur eum magis medicinam quam grammaticam professum esse. namque ad tales quaestiones intricatiores rite expediendas, qualis est *προρρητικοῦ* libri duo utrum uere Hippocratis sint necne, haud exiguam non solum artis medicae uerum etiam scriptorum Hippocraticorum scientiam

12) Cf. Galen. expl. uocum Hippocr. s. u. *κάμμορον* p. 490.
13) Photius lex. p. 211, 15. 230, 24, ex quo loco profecit Suidas t. II c. 604.
14) EM. p. 490, 52. 492, 10. 492, 19. 596, 3. 720, 34.
15) Permultis locis, ueluti p. 563. 566. 567 etc.

ci opus fuisse patet. sed ut reuertatur oratio unde deflexit, Erotiani lexicon uocum Hippocraticarum licet primo adspectu plane integrum esse uideatur, tamen prorsus alio quam ab Erotiano publicatum sit ordine, quin etiam confusum mutilatumque ad nostram aetatem peruenisse ex multis argumentis elucet: id quod primus docuit medicus idemque philologus haud ignobilis Adrianus Heringa obseruationum criticarum p. 3 sq. proficiscendum nobis est ab ipsius Erotiani uerbis. recensitis enim uariis uariorum obscuras Hippocratis uoces explicandi conatibus ac modis eos in primis damnat, qui uocabula secundum litterarum ordinem interpretati erant, Epiclem dico et Glauciam. quorum prior, ut Heringae uerbis utar, breuitati studens non adnotauerat loca uel libros Hippocratis, unde glossas suas desumpserat, quod molestiam creabat lectori. Glauciae autem scriptio cum ubique locis Hippocratis studiose adnotatis nimia testimoniorum mole qua laboraret taedio lectores adficeret, Erotianus de se suaque ratione subdit haece (p. 35, 7): *διόπερ ἡμεῖς καθ' ἑκάστην γραφὴν ἐκλεξάμενοι τὰς καταγεγραμμένας λέξεις διὰ μὲν τοῦ συγγράμματος δηλώσομεν, ὅπου* (sic coniecit Heringa; *ὁποῖαι* libri, fortasse scribendum *ὅπου αὐταὶ*) *τυγχάνουσι κείμεναι ἐν ὅσαις τε βίβλοις ἱστοροῦνται αἱ μὴ συνήθεις· διὰ δὲ τῆς ἐξαπλώσεως ἐμφανίσομεν πόσα σημαίνουσι μιμνησκόμενοι καὶ τῶν ἅπαξ εἰρημένων κτλ.* iam igitur Erotianus, ut ipsum exponentem audiuisti, non litterarum sed librorum Hippocraticorum ordinem secutus uoces uniuscuiusque libri explicare studuit eo ordine quo in Hippocrate sese inuicem excipiebant. glossis uero libri titulum praefixit e quo petitae erant, ut ex ipsius uerbis p. 36, 22 manifestum fit: *λοιπὸν ἀρξώμεθα ἀπὸ τοῦ προγνωστικοῦ.* in lexico, quantumuis hodie uelut Galeni aliorum scripta similia alphabetico ordine in codicibus propagatum sit, nihilo tamen setius extant tot tamque grauia genuinae conpositionis uestigia cum sagaci Heringae obseruatione adeo consentientia, ut dubia ea neutiquam esse possit. quae cuncta, nisi quem modo significauimus ordinem ab Erotiano obseruatum esse adsumpseris, omnino intellegi nequeunt. fac enim eum uocabulorum expositiones secundum alphabeti seriem ordina-

uisse, quem fructum lectores Hippocratis e libro percepturos fuisse arbitraberis qui ita dispositus erat, ut *ἀλυσμόν, ἀπεδείξαμεν, ἄλλῃ κοιλίῃ, ἀτρεκέως, ἀλλοφάσσοντες, ἀραιά, ἅλις κτλ.* uoces sese exciperent? id uidelicet lucrati sunt commodi, ut unam uocem quaerentes totam haud raro litteram perscrutari oporteret. quibus porro rationibus dicemus esse factum, ut aliquot uocabula nunc bis in lexico explicentur? talia sunt: *ἅλις* p. 40, 6 et p. 49, 2; *ἄνανδος* p. 42, 3 et p. 56, 8; *ἐκθήλυνσις* p. 68, 1 et p. 69, 13; *ἐπηλυγάζονται* p. 73, 4 et p. 127, 7; *ἐπιταίνετο* p. 67, 16 et p. 71, 5; *ἀνδρεῖος οἶνος* p. 51, 8 et p. 102, 13; *πελάσει* p. 110, 1 et *πελάσῃ* p. 105, 6. huc quoque refero *ὀτίδος* p. 101, 14 et *ὠτίδος* p. 138, 9. saepissime denique, unaquaque paene dixi pagina, Erotianus utitur formulis *ἐνθάδε, ἐνταῦθα, νῦν*[16]): quae nunc quo referantur non habent eoque apertius declarant 'ordinem glossarum olim fuisse talem, ut lectoribus primo obtutu pateret, ad quosnam Hippocratis libros referendae essent Erotiani explicationes.' nunc uero, quode optimo iure Heringa conqueritur, 'saepe totus fere Hippocrates etiam frustra euoluendus est, ut desiderata loca reperiamus.' hisce igitur rationibus subnixus Heringa prognostico singulas quae inde delibatae nunc extant glossas restituere conatus est.

Iam quo facilius graues turbas perspicias, quas posteritati peperit homo ille sciolus, qui Erotiani librum discerpsit et secundum alphabeti seriem conglutinauit, tabula tibi ante oculos posuimus ordinem, et qualis hodie in lexico est traditus et qualem subtili atque ingeniosa coniectura redintegrauit Heringa in obseruat. crit. p. 6 sq.

---

16) Haud exiguum nostrae opinionis fulcimentum quoque illud est, quod Lycus, medicus Neapolitanus, *ἐν τῷ β̄ τοῦδε τοῦ συγγράμματος ἐξηγητικῷ* ab Erotiano s. u. *χαμμόρῳ* p. 85, 9 laudatur. quo cuius scripti commentarium Erotianus significare uoluerit, prorsus nesciremus, nisi glossae Erotianeae sedes cognita esset. quae cum ad Hippocratem de locis in homine 27 spectet, Erotianum de Lyci commentario in hunc librum loqui patet. — hac occasione oblata errorem corrigam, quem nescio quo modo commisi. scripsi enim in adnotatione critica ad Erotianum l. l. p. 85 et in indice auctorum Lycum commentarium in Hippocratem de articulis edidisse.

Ordo

Erotiani	Epitomatoris
λέγων	ἀλυσμόν[17])
τολμᾶν	ἀπεδείξαμεν
ξυντεκμαίρεσθαι	ἄλλῃ κοιλίῃ
ἐπανέρεσθαι	ἀτρεκέως
λιμῶδές τι ἔχῃ αὐτόν	ἀλλοφάσσοντες
ὑποφάσιας	γαργαρεών
καμπύλον	ἐπανέρεσθαι
προπετής	εὐπετέστερον
ἀλυσμόν	εὐηθέστατοι
πνεῦμα	καμπύλον
———	καρδαμύσσειν (?)[18])
ἀπέδειξαν	κόσμον
εὐπετέστερον	καρδιώσσειν
ἄλλῃ κοιλίῃ	λέγων
λαπάσσουσαι	λιμῶδές τι ἔχῃ αὐτόν
νείαιρα γαστήρ	λαπάσσουσαι
τρύζειν	λαπάρην[19])
λαπαρήν	Λιβύῃ, Δήλῳ, Σκυθίῃ
φῦσαν	μαρμαρυγαί
νεφέλαι	νείαιρα γαστήρ
περιεστικόν	νεφέλαι
εὐηθέστατοι	ξυντεκμαίρεσθαι
ἀτρεκέως	ὀρφνῶδες
κόσμον	προπετής
ἀλλοφάσσοντες	πνεῦμα
γαργαρεῶνες	περιεστικόν
πελάσῃ?	πελάσει
ὀρφνῶδες	τολμᾶν

17) Haec nunc prima cuiusque litterae uocabula sunt.

18) Cf. Heringa l. l. p. 8.

19) Equidem ualde ambigo, num Heringa l. c. recte de huius uocis sede disputauerit, truncam esse Erotiani explicationem et ea, quae lexicographus de uocum *λαπαρή* et *λαπάρη* adnotasset, uel librariorum culpa uel interpolatoris intercidisse statuens.

μαρμαρυγαί	*τρύζειν*
καρδιώσσειν	*ὑποφάσιας*
Λιβύῃ, Δήλῳ, Σκυθίῃ	*φῦσαν*

Quo in negotio praecipuum Heringae adminiculum erat epitomatoris socordia atque inertia, qua iste uoces non penitus in ordinem alphabeticum redegit sed primum omnes uoces ab *α*, tum a *β*, deinde a *γ* littera incipientes seruato Erotiani ordine excerpsit, ita ut is quodam modo redintegrari queat.[20]) minime autem ut fit Erotiani uestigia diligenter pressit, immo permultae glossae restabunt, quas uarias ob causas nunquam futurum est ut in genuinum ordinem reponere liceat, nisi — id quod uereor ne semper inter pia uota exhibeatur — exemplar plenius et natiuum adhuc ordinem seruans nancti erimus. quocirca lubricam qua mihi Heringa praeiuit uiam ingredi ualde dubitaui, quamquam id nouum editorem iusserat Daremberg in libro cui inscripsit, *notices et extraits des manuscrits médicaux grecs, latins et français des principales bibliothèques de l'Europe* p. 221. quo adcedit quod *λέξεων συναγωγή*, qualis hodie in codicibus qui innotuerunt omnibus circumfertur, non confusa solum et in breuius contracta uerum etiam manca et mutila est. cuius rei luculentum petitur argumentum ex magna scholiorum copia, quae in marginibus meliorum Hippocratis codicum adscripta leguntur. ea enim uocibus exponendis inseruientia ex Erotiani libello ut communi fonte hausta esse optimo iure coniecit Daremberg l. l. p. 199, qui magnam eorum partem e codicibus Vaticanis primus in lucem protraxit et publici iuris fecit. si quidem, ut a leuioribus quae id euincunt argumentis initium capiamus, omnia Erotiani cum interpretandi morem tum, id quod in hac re diiudicanda non exigui censeo

20) Eandem quam Erotianus sortem experta sunt duo alia glossaria, alterum quod dicitur Herodoteum, Oppiani alterum a Rutgersio uar. lect. VI 5 primo editum. huic pristinum ordinem reddidit ex codice Doruillius in miscellaneis obseruationibus uol. VIIII p. 100 sqq., illi forte fortuna e duobus codicibus Parisiensibus, de quorum uno uide Montfaucon biblioth. Coislin. p. 484, reconcinnare poteris; id quod alio loco et tempore facere mihi in animo est.

esse momenti, rationem scribendi aperte produnt, quae etiam nunc in plenioribus lexici expositionibus cernitur. tum uero cuncta et propter testimoniorum quae adlegantur ubertatem et rerum tractatarum grauitatem ita sunt conparata, ut ad auctorem nisi optime in libris Hippocraticis uersatum optimisque auctoribus usum referri non possint. sed cum ne ullum quidem scholion, si duo uel tria de quibus dubitari queat exceperis, in Galeni aut *ἐξηγήσει γλωσσῶν* aut ceteris scriptis extet, ad Erotianum remittimur solum, ex cuius scriptione desumi potuerint. ni mirum non deerunt qui glossas uelut *κύαρ, κέδματα* et *τερηδών* Hesychio et Suidae auctoribus quam Erotiano adscribere malint, etiamsi pro more eorum, qui scholia excerpebant codicumque marginibus adlinebant, iam per se parum probabilitatis habet eos quasi apes modo hinc modo illinc sua delibasse, praesertim cum in Erotiani libro quaecumque optabant in promptu essent. certissimum porro documentum scholiis Erotiani frustula contineri id subministrat quod inter ea haud pauca glossemata extant, quae partim quamquam nunc quidem desiderantur a se exposita esse Erotianus ipse prooem. p. 35, 14 expressis uerbis ait (cf. fragm. XIII), partim adhuc in lexico leguntur; cf. fragm. I = Erotian. p. 39, 9; fragm. VII=p. 131, 3; fr. XX=p. 59, 6; fr. XXIIII=p. 118, 16; fr. XXV = p. 108, 3; fr. XXVIIII = p. 125, 13 et p. 54, 15; fr. XXX = p. 72, 3; fr. XXXI = p. 55, 4; fr. XXXX = p. 113, 1; fr. XXXXVII=p. 83, 6; fr. LVII=p. 86, 19; fr. LXVIII=p. 37, 2; fr. LXXI=p. 59, 4; fr. LXXII=p. 80, 13; fr. LXXVI = p. 115, 13. denique post iusiurandum Hippocratis, cuius scripti uocibus exponendis finem libello suo inposuisse Erotianum constat (cf. p. 25), ipsa eius uerba in scholiis istis seruata sunt, quibus eundem, quem in initio libri, Andromachum medicum adloquitur rogatque, ut si quae minus recte a se explicita esse existimet ingenue sibi communicet. haec autem si recte a me disputata sunt, inde consequitur ut scholia ad unum omnia,[21]), quae in

21) Ea sane excipio quae plane nauci sunt et eius modi, ut primo obtutu sese librarii cuiusdam cerebro originem debere ostendant.

uerborum interpretatione uersantur neque in Galeni libris leguntur, ad Erotianum referenda sint auctorem.

Vides rem nobis prosperrime cessisse. super est igitur hodie Erotiani glossarium duplici recensione ad nostram aetatem propagatum. altera sciolo quodam homine auctore in alphabeti ordinem redacta et ita detruncata est, ut saepenumero Erotianum in Erotiano uix agnoscere nos sinat. alterius autem non superstites sunt nisi laciniae ex genuino Erotiani lexico cum integrum adhuc et saluo ordine pristino esset decerptae, quae in scholiorum formam redactae singulis quibus exponendis inseruiunt locis adscriptae sunt.[22]) utramque recensionem separatam exhibui, ut quid genuinae recensionis quid epitomatoris sit statim dinoscatur. initium faciunt fragmenta, quae in scholiis leguntur. eorum uero ut res fert haud exigua pars continet glossas, quae iam, ut supra monui, e lexico edito cognitae sunt: quae quin ibi repeterentur eo minus prohiberi potuit, quo manifestius communem originem produnt et quippe quae nunc pleniores nunc breuiores editis sint. codices uero, e quibus haec frustula partim primi publicauimus aut conlegimus partim publicatas iam repetiuimus, ob numerum et quia iisdem atque Littréus eos signaui notis, ut apud eum adcuratiorem notitiam haurire possis, hoc loco singillatim recensere neque operae pretium neque alicuius momenti esse duxi. tres tamen eorum significare uidetur consentaneum, quia primarium locum inter libros, quibus scholia continentur, cum propter copiam tum propter praestantiam scholiorum obtinent. sunt enim hi: Vaticanus num. 277 = V cf. Littréus t. X p. LX; Urbinas n. 68 = U cf. Littréus l. l. p. LXI et Parisini codicis duo uolumina numeris 2254 et 2255 signata = D et E. cf. Littréus

22) Non indigna quam hic adponamus est Darembergii l. c. p. 221 opinio de hodierna lexici condicione. en ipsum audi: '*il ne serait pas impossible que le lexique d'Érotien ait été recueilli, même avec sa préface, sur les marges d'un manuscrit d'Hippocrate, soit que les articles y aient été dispersés tels que nous les possédons aujourd'hui, soit que le premier copiste, qui les a réunis, ait pris seulement, et sans doute en les modifiant, ceux qui l'intéressaient le plus.*'

t. I p. 518. quod uero scholia non emendatiora solum quam a Darembergio factum est sed etiam auctiora edere mihi licuit, debeo Zachariae Ermerins, medicinae in uniuersitate Groningensi professori. is enim schedulas, in quibus Cobetus scholia e Vaticanis codicibus in eius usum diligentissime descripserat, liberalitate et comitate prorsus amabili mecum communicauit. quo demum factum est, ut quid in libris scriptum quid non sit satis certo adpareat.

Sed redeo ad lexicon, quod hodie Erotiani nomen fert deque quo non nulla restant dicenda. ordo enim, quo in uocibus exponendis singulos Hippocratis libros se deinceps excipere uoluerit Erotianus, ex prooemio eius satis constat. neque ideo esset cur de hac re lectorem commoneremus, nisi Heringa l. c. p. 9 contendisset Erotianum non adcurate illum ordinem, quem in praefatione significauisset, secutum esse sed ita fere libros explicauisse, ut hac se serie exciperent: *προγνωστικόν, προῤῥητικόν α̅ β̅, περὶ χυμῶν, ἐπιδημίαι ζ̅, περὶ φύσιος ἀνθρώπου, ἀφορισμοί, περὶ φύσιος παιδίου, περὶ τόπων καὶ ὡρῶν, περὶ φυσῶν, περὶ ἱερῆς νούσου, περὶ ὑδάτων. εἰς διαίταν: περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον, περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, περὶ τέχνης, κατὰ ἰητρεῖον, μοχλικός, περὶ ἑλκῶν, περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τραυμάτων, περὶ ἀγμῶν, περὶ ἄρθρων, περὶ πτισάνης, περὶ ἀφόρων, περὶ νούσων α̅ β̅, γυναικείων α̅ β̅, πρεσβευτικός, ἐπιβώμιος.* sed Heringa fatetur ipse se libris, qui praeterea ab Erotiano in prooemio recensentur: *περὶ τραυμάτων καὶ βελῶν, περὶ αἱμοῤῥοΐδων καὶ συρίγγων, περὶ τροφῆς, ὅρκος, νόμος* locum adsignare non audere nec posse. in lexico autem, quale in codicibus traditum est, nullum usquam indicium extat, ex quo quam Heringa reconcinnare uoluit librorum seriem recognoscere possimus. immo uero, ut uerba quae praefationem finiunt *λοιπὸν ἀρξώμεθα ἀπὸ προγνωστικοῦ* abunde demonstrant, Erotianus eundem quem in dinumeratione librorum exhibuit ordinem in interpretandis quoque uocabulis secutus est.

Difficilior restat quaestio, utrum librorum Hippocraticorum index, quem secundum rerum quae in iis tractantur concordiam aut discordiam dispositum in prooemio exhibuit Erotianus,

ita ut superstes est ab ipsius manu profectus an eandem quam lexicon sortem perpessus ab eodem illo homine, qui illud discerpsit, mutilatus sit. ac re uera, si quis obiter eum perlustrauerit, integer ad nos peruenisse uidetur. nam id temere negare res sane ardua est, praesertim cum quas scriptiones Hippocratis non esse contenderit Erotianus, si unam exceperis, prorsus caecutiamus. attamen eos quoque libros, quos medico Coo abiudicauit, in indicem rettulisse Erotianum ut adsumamus efficit illud, quod prorrhetici libros quamuis subditicios esse existimauisset inter ceteros enumerauit, quin etiam permultas uoces inde sibi elegit explicandas. quod si ita est, scrupulus de integritate Erotianei librorum Hippocraticorum catalogi, qui in animo nostro insedit, non modo non euolsus est sed etiam acrius pungit. ut enim taceam alias quoque prooemii partes mancas esse, triginta ferme lexici glossae ad libros respiciunt, qui hodie in indice non nominantur. sed ne exempla desideres libri *de liquidorum usu* tres extant glossae, ex scripto *de ossium natura*[23]) octo desumptae sunt; ad libellos *de internis affectibus* et *de uictu salubri*[24]) binae, ad scriptum *de diaeta* tres referendae sunt, una ad librum *de exsectione fetus. prognoseis* denique *coacae* ter respiciuntur. pluribus exemplis supersedeo adferendis, quia eorum numerum unusquisque facile augere potest.

---

23) Aliam rationem huius opusculi in indice omissi inuestigare sibi uisus est Littréus ad Hippocr. t. I p. 418. id enim cum a Galeno bis in glossario s. u. *παραστάτας* p. 538 Franz et s. u. *κοτυλίδα* p. 506 ita adlegetur quasi appendix libelli sit qui *μοχλικός* uocatur, inde iam antiquitus mochlico adiunctum fuisse conlegit Littréus, ita ut Erotianus hac tantum inscriptione id cognitum haberet.

24) Hic liber fortasse ideo in indice non conparet, quia apud ueteres cum opusculo ***de natura hominis*** coniunctus fuisse uidetur. ita quidem nunc in omnibus codicibus legitur. cf. Littréus l. c. uol. I. p. 143. — eodem quoque modo Littréus l. m. l. p. 150 factum esse putat, ut Erotianus libellum ***de generatione*** inter Hippocratis opera non enumeret: scilicet quoniam partem scripti ***de natura infantis*** esse censeret.

CAPUT II.

Iam oritur quaestio de subsidiis, quibus adiutus Erotianus opusculum suum conposuit: in quae e re uidetur diligentius inquirere, praesertim quia antiquae eruditionis monumenta satis egregia, quae nunc perdita sunt, ei praesto fuerunt. nam nemo scriptorum graecorum est, in cuius uerbis insolentioribus consignandis et explicandis tantam uirorum doctorum seriem occupatam fuisse uides, quam Hippocrates, medicorum facile princeps. disquisitionem uero nostram ita instituemus, ut primum singula ueterum interpretum cum medicorum tum grammaticorum uestigia conquiramus tum quem potissimum auctorem ducem quem sequeretur Erotianus sibi elegerit, enucleare conemur.

Extat quidem de hoc argumento dissertatio, quam PSCPreu *de interpretibus graecis Hippocratis* inscriptam Altdorfiae 1795 emisit. sed quid ad nostram rem dilucidandam contulerit, equidem nescio, quia eius scriptionem nunquam uidi. attamen hodie eam non satisfacere pro certo adfirmare possum, quippe eius modi quaestionem nostro demum tempore omnibus numeris absolui posse unusquisque, penes quem de hisce studiis iudicium est, optime nouit.

Inter medicos igitur interpretes primus,[25]) qui Coi lexeis

---

25) Fuerunt qui Herophilo primum locum inter glossographos adsignare uellent, sed uehementer frustrati sunt. Herophilus enim ipse λέξεις scriptorum Hippocraticorum nunquam conposuit atque enucleauit, sed res tantum modo in singulis eorum tractatas doctis commentariis inlustrauit, in quibus occasione oblata significatus uocabulorum obscuriorum tetigit. locus uero, quo decepti ei, qui de historia artis medicae scripserunt, et Littréus ad Hippocr. t. I p. 83, quem Lehrsius de Aristarchi stud. hom. p. 53 mallem non secutus esset, Herophilum in glossographorum numerum benignius receperunt,

enarrare earumque explanationes litteris mandare adgressus est, nominandus nobis est Bacchius Tanagraeus, Herophili adsecla. is praeter editionem libri tertii epidemion atque commentarios in aphorismos, *κατ᾽ ἰητρεῖον* et epidemion librum sextum *διὰ τριῶν συντάξεων* lexin Hippocratis explorauit. idque ita instituit, ut in commentariis res, quae ab Hippocrate tractantur, interpretaretur, in lexeon libris autem glossas [26]) solum modo eligeret enarrandas, cum conplures alii peruerso studio, ut Galenus gloss. p. 402 monuit, etiam nomina arborum, herbarum, animalium, metallorum et supellectilium in uolgus notorum, quorum Hippocrates alicubi mentionem inieceerat, tractauissent. quare haud scio an recte huc referam locum Galeni def. med. CCXX t. XVIIII p. 408 *Βακ-*

---

est apud Galenum gloss. p. 404: *εἰ τοίνυν ταῦτά τις περιέλοι πάντα, τὰς γλώττας ἂν ἐξηγήσαιτο μόνας, ὥσπερ ὁ Ἡρόφιλος ἐποίησε καὶ Βακχεῖος* (*ἐποιήσε βάκχιος* cod. Mosquensis), *Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν παραδειγμάτων ἀθροίσαντος, ὥς φασιν* (*ὥς φησὶν* cod. Doruillianus). tu uero, cum aliunde de tali Herophili opera nihil traditum sit, particula *καὶ*, quam melior quoque liber Mosquensis non agnoscit, proscripta pro corrupto illo *Ἡρόφιλος* mecum apud Galenum restitues *ὁ Ἡροφίλειος*, quod et a sensu et a uerborum ordine quam maxime commendatur. uoces *Ἡρόφιλος* et *Ἡροφίλειος* in Galeni libris plus sexcenties a librariis confusae sunt. cf. gloss. p. 402, ubi *Ἡρόφιλος* pro *Ἡροφίλειος* legitur; comm. in aphorism. uol. XVIII A p. 186 sq. K., Sprengel *gesch. d. medecin* 3te aufl. I 558 Schultze hist. med. p. 382. praeterea Galeni locum Littréus l. c. perperam intellexit inde haec concludens: '*Galien dit qu'il (scil. Hérophile) s'était contenté d'expliquer seulement les mots sans entrer dans les explications médicales.*' ceterum nostrae de Galeni loco opinioni minime aduersatur Erotianus p. 37, 9, qui Bacchium ab Herophilo *ἀλύειν* idem esse ac *πλανᾶσθαι* adserente seductum esse dicit. nam haec uox ab Herophilo in commentario ad prognosticon in quo legitur explicata est; indidem alias quoque eius interpretationes Stephanus in schol. Hippocr. uol. I. p. 61 ed. Dietz et Caelius Aurelianus de morb. chron. IIII 8 protulerunt; cf. Galen. comm. in Hippocr. prognost. t. XVIIII B p. 16 K. de alio loco Galeni gloss. p. 490, qui, nisi Herophili nomen sine ulla auctoritate male intrusum esset, Littréi sententiam ualde defenderet, uide quae in hisce prolegomenis p. VIIII disputauimus.

26) Sed ne omnes quidem glossas a Bacchio enarratas esse scimus ex Galeno p. 408, qui se etiam eas quas ille praetermisisset in exegesin suam recepisse ait.

χεῖος ὁ Ἡροφίλειος εἶπε· ῥυθμός ἐστι κίνησις ἐν χρόνοις τάξιν ἔχουσα. neque reconditioris doctrinae specimina scriptioni eius defuere, quippe qui uerborum interpretationibus suis adlatis multis poetarum testimoniis firmius fundamentum anquisiuisset (cf. Erotian. p. 31, 12); id quod in tali uiro permagni faciendum esset, nisi illa eum non ex suo penu deprompsisse sed Aristarcho, qui *ἀπεστήθιζε πᾶσαν τὴν τραγῳδίαν* (EM. p. 277, 53 Eustath. p. 974, 7), accepta rettulisse nos dedoceret Galenus l. c. p. 404 *Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν παραδειγμάτων ἀθροίσαντος, ὥς φασιν.* sed caue ullam fidem habeas corruptis Galeni uerbis, quae plus uno nomine iustissimae suspitionis ansam praebent. Bacchio enim ideo poetarum testimonia quae adposuerat nobilissimus ille grammaticus suppeditare non potuit, quod multo post Bacchium uixit, id quod MSchmidtium Didymi fragm. p. 262 latuisse oppido miror. si quidem aequalis erat Philini Coi, qui empiricae sectae princeps et Herophili discipulus (Galen. *εἰσαγωγὴ ἢ ἰατρός* c. 4 uol. XIIII p. 683 K.) erat. cf. Erotian. p. 31, 13 Littréus ad Hippocr. t. I p. 87. Herophilus autem cum aetate ferme suppar esset Erasistrato,[27] qui Seleuci Nicatoris a. 281 a. Ch. mortui medicus fama clarus erat et Theophrasto *συνεγένετο* (Galen. an sanguis natura in arteriis contineatur 7 t. IIII 729 K.), nihil plus probabilitatis habet quam ea, quae Galenus de Aristarchi auxilio rettulit, corruptionem contraxisse, quam qui persanes non difficile est intellectu. manifestum enim est Aristophanis Byzantii[28]) nomen pro

---

27) Minime ignoro magnam opinionum discrepantiam inter uiros doctos esse de medici huius celeberrimi aetate, cum iam ueteres non consentirent. Plinius enim XIIII, 7, 73 eum circiter CCCCL annum urbis Romae fuisse adserit, at Eusebius ad olymp. CXXX, 4 adnotat: *Ἐρασίστρατος διαφανὸς ἰατρὸς ἐγνωρίζετο.* sed uterque nimius est in aetate eius definienda. ceterum cf. Rosenbaum ad Sprengel *gesch. der med.* I p. 522 not. 13, Le Clerc hist. de la médecine p. 294, Meyer *gesch. der botanik* I 229.

28) De nominibus *Ἀριστοφάνης* et *Ἀρίσταρχος* propter compendiorum similitudinem toties permutatis uide praeter Barkerum ep. crit. ad Th. Gaisford in Valpii ephem. class. et FAWolfii anal. litt. IIII 545, Osannum anecd. Rom. p. 83 et in primis Nauckium ad Aristoph. Byz. fragm. p. 229.

Aristarcho substituendum esse, quorum uterque saepissime de sede certat. iam uero Galeni loco, ut mea opinio fert, lenissima medela persanato festino ad ipsum Bacchii lexicon, quod tribus libris conprehendebatur. quo autem ordine singuli libri digesti fuerint, prorsus ignoramus, cum neque *κατὰ στοιχεῖον* neque secundum scriptorum Hippocraticorum seriem conpositos eos esse ex uocibus *ἀγάλλεται, ἄμβην, ἕδος* cognoscatur, quas, quamquam omnes tres ad librum de articulis pertinent, tamen ut ex diuersis Bacchii libris petitas adfert Erotianus p. 54, 4. 53, 5. 70, 1; cf. Daremberg *notices et extraits des mss. méd.* p. 222. quin etiam uocabulum *ἀπολελαμμένοι* a Bacchio in duobus libris (*ἐν δυσίν*) tractatum erat; Erotian. p. 40, 7. neque ex ceteris fragmentis apud Erotianum seruatis, quorum sat amplus numerus adhuc superstes est, quod ueri speciem ferat quidquam de genuino lexici ordine erui licet. consilium igitur plane singulare et a relicuis lexicis prorsus diuersum Bacchius in condendo opusculo secutus sit necesse est. eo magis autem est mirandum, quod Erotianus, qui eorum, quae Epicles et Glaucias praestiterunt, tam copiosum sese et acrem criticum praebuit, de Bacchii meritis atque erroribus alto utitur silentio. is uero cum tanta apud Erotianum fructus sit auctoritate, ut eum[29]) potissimum ducem quem sequeretur eligeret, uix a me inpetrare possum, ut eum de Bacchii ratione nihil addidisse credam. quam ob causam suspicor ante eam partem praefationis, in qua de Glauciae et Epiclis librorum consilio agit Erotianus, lacunam esse, quae iudicium Bacchii hauserit: id quod eo maxime probabile fit, quod prooemium aliis etiam locis lacunis spurcatum esse euici in Fleckeiseni *n. jahrb. f. philol.* uol. LXXXVIIII p. 285 sq. neque minus quam apud Erotianum auctoritate Bacchius apud relicuos Hippocratis interpretes ualuit; namque plurimi, qui post eum in hoc genere studiorum desudarunt, ab eius scriptione profecti sunt. unde factum est, ut alii libros eius in breuius contraherent uti Epicles

---

29) Bacchius sexaginta quattuor locis testis prouocatur, cum Epicles bis et uicies, et Glaucias septies laudentur.

et Apollonius Ophis, alii uero significatus uerborum quos inuenerat singularibus libellis inpugnarent. acerrimus uero aduersarius Bacchii extitit Apollonius Citiensis, qui eum inperitiae crimine obruit. neque prorsus inmerito, si quid uideo. namque Bacchius nesciuit quid *ἀμφισφάλλουσαι* significet apud Hippocr. de artic. 2; ceterum cf. Apollon. Cit. in schol. Hippocr. t. I p. 4 et 10 Dietz. —

Bacchio suppar erat qui sequitur Philinus Herophili discipulus idemque sectae empiricae princeps. nobis res erit cum *ἑξαβίβλῳ πραγματείᾳ,* qua Bacchii uerborum interpretationes examini exacto subiecit. quo modo hanc prouinciam a se susceptam gesserit, facile dolendum est quod hodie decernere non possumus, quippe tres eius laciniae, quae apud Erotianum restant, *θεῖον (λοιμικὸν πάθος)* p. 7, 18; *ἄμβην (ξυστροειδῆ ὑπεροχήν)* p. 52, 11; *ἀτρεκέως (ἀκριβῶς)* p. 37, 16 satis certum iudicium non admittunt. ad hunc Philini librum refero quoque quae Athenaeus XV p. 681b seruauit frustula: *Φιλῖνος δὲ τὸ κρῖνον ὑφ᾽ ὧν μὲν λείριον, ὑφ᾽ ὧν δ᾽ ἴον καλεῖσθαι.* et p. 682a: *Φιλῖνος δέ φησι τὰ ἄνθη τῆς ἴριδος λέγεσθαι λύκους διὰ τὸ ἐμφερῆ εἶναι λύκου χείλεσι.* num uero huc pertineant, quae Plinius n. h. XX 22, 247 de sisymbrii siluestris, quod a quibusdam thymbraeum adpellatum est, usu et facultate Philino auctore prodidit, uehementer ambigo.

Post Philinum nomino Epiclem, qui Bacchii libros tres in epitomen [30]) redegit; quae quot libris constiterit nescimus, quia numerus eorum infelici casu apud Erotianum

---

30) Probo enim cum Littréo atque in textum quoque Erotiani p. 31, 14 recepi Fabricii coniecturam, qui *Ἐπικλέους τοῦ Κρητός* pro corrupta librorum lectione *Ἐπικελεύστου* uel *Ἐπικελεύσου κριτός* scribendum proposuit. neque moror Darembergium l. c. p. 224 aduersantem, quoniam Epicles saepissime Bacchii interpretationes inpugnauerit. cur enim Epicli non licuit contradicere, cum in illius libris, quos contrahebat, haberet in quo offenderet? Epiclis uero rationem copiosius quidem describit Erotianus p. 34, 21, sed in dinumeratione scriptorum, qui interpretis munere in Hippocrate functi sunt, frustra cum quaeris, cum Glaucias et Bacchius, in quorum consortio fere semper est, nominentur, et pro Epicle Epiceleustus ille adpareat, cuius in lexico nullum uestigium inest.

p. 31, 15 excidit. Epiclis autem libri, qui secundum litterarum seriem ordinati erant, Erotiano iustam reprehensionis ansam dederunt, utpote qui *ματαίου συντομίας ζηλωτής* esset neque omnes glossas exposuisset neque denique in quibus legebantur scripta Coi adnotauisset. ceterum res ei omnino non prospere cessisse uidetur, quotiescumque proprio Marte significatum uerborum eiusque flexum rimari suscepit; nam e uiginti locis, quibus sententiae eius adferuntur, tantum non omnes ita conparati sunt, ut interiorem ei linguae scientiam defuisse cernas. eius modi sunt, ut pauca adscribam p. 84, 6 *κανονίαι· Ἐπικλῆς φησι μακροὶ καὶ εὐμεγέθεις.* p. 100, 12 *ὄμματα ἐνδεδινημένα· Ἐπικλῆς τὸ ἐνδεδινημένον ἐπὶ τοῦ ἐσκοτωμένου καὶ τὴν κεφαλὴν ἀλγοῦντος τάσσει.* p. 128, 10 *ὑδεροῦν· τὸν ὕδερον. Ἐπικλῆς δέ φησι τὸ ὑδρηλὸν χωρίον εἰρῆσθαι.* utroque loco Epicles uapulat Erotiano, qui explicationi eius *οὐ νοήσας* suo iure addit.

Sequitur D i o s c o r i d e s Phacas, Herophilius, qui Antonii et Cleopatrae tempore uixit. Suidas uero s. u. *Διοσκορίδης* t. I 1 col. 1403 omnia miscet dicens: *Διοσκορίδης Ἀναζαρβεύς,*[31]) *ἰατρός, ὁ ἐπικληθεὶς Φακᾶς διὰ τοὺς ἐπὶ τῆς ὄψεως φακούς. συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπὶ Ἀντωνίου κτλ.* namque Phacas et Anazarbeus duorum auctorum prorsus diuersorum cognomina sunt, ut ex Galeno gloss. p. 402 elucet nostrum ab iuniore quodam et Anazarbeo illo expressis uerbis discernente. Dioscorides Phacas praeter uiginti quattuor libros de rebus medicis ad Antonium scriptos (*βιβλία κδʹ τὰ πάντα ἰατρικὰ περιβόητα*), de quibus nihil constat, lexin Hippocratis septem libris amplexus est. inter duos hosce libros utrum necessitudo quaedam intercesserit necne, diiudicari nequit, quia de utraque scriptione parum constat. utriusque memoria iam Galeni tempore plane fere oblituisse uidetur, si quidem is neque in libris eas commemorauit praeter gloss. p. 402 et hoc loco eum ita laudauit,

---

31) Fuerunt qui uocem *Ἀναζαρβεύς* a scioli cuiusdam manu adlitam esse coniectarent; ac sane si ea deesset, Suidas a criminibus, quibus uiri docti certatim eum obruerunt, liber esset. sed equidem potius haec inscitiae Suidae tribuerim, quia uix credis inmane quantum eum tali modo turbauisse.

ut Dioscoridem nomine tantum ei cognitum fuisse adpareat. hodie unum restat fragmentum apud Erotianum p. 132, 1 s. u. *φωναὶ κατείλλουσαι*, in quo Bacchii ut uidetur explicationem inpugnantem ueri aliquid uidisse non negandum est. in uniuersum autem eius interpretationes uocabulorum singulares et abstrusae fuisse uidentur, cum non modo Bacchii et Philini sed etiam Epiclis et Apollonii Opheos decretis refragatus esset.

Inter medicos interpretes Hippocratis praeter Bacchium celeberrimus est Heraclides Tarentinus, Mantiae discipulus,[32]) qui tres libros *πρὸς Βακχεῖον περὶ τῶν Ἱπποκράτους λέξεων* edidit. cf. Erotian. p. 32, 2, fragm. LXXIII. scriptioni suae recensum interpretum, qui in hoc genere antecesserunt, praemisisse uidetur, utpote Erotianus Heraclide teste Xenocritum Coum grammaticum primum glossarum expositiones litteris consignasse tradit. eius libri quo ordine dispositi fuerint, non constat neque ex fragmentis concludi potest, cum semel tantum apud Erotianum libri numerus additus sit. uidetur tamen Bacchii, quem inpugnabat, morem secutus glossas secundum libros Hippocratis ordinauisse, quia interpretationem uerbi *ἐλινύειν* ad epidemias pertinentis libro secundo protulit et uoces ab *ε* littera incipientes, si *κατὰ στοιχεῖον λέξεις* condidisset, in librum primum relegasse eum ueri simile est, ne relicui duo nimio ambitu laborarent. fragmina autem omnia, quae Erotianus exhibuit, uno excepto ex hisce libris petita sunt, in quibus Bacchii inprimis interpretationes examini subiciens haud raro in sententiam ab eo diuersam discessisse uidetur. nunc eum uno tantum loco (sexies enim laudatur) a Bacchii parte stare uidemus uocem *θεῖον* esse *τὸ λοιμικὸν πάθος* decernentis. quodsi uero conplura etiam uocabula ita explanauit ut uocem *μᾶσσον*, quam *πλεῖον*, Bacchius autem recte *ἔλασσον* interpretatus erat (cf. Erotian. p. 95, 6), nequaquam prouinciam in se susceptam strenue gessisse putandus est. praeter glossas pariter atque Pamphilus et Dioscorides iunior, quem Alexandrinum dicunt, nomina quoque

32) Glauciae discipulum fuisse Heraclidem qui in Paulyi encyclopaedia reali s. u. contendit, unde sciuerit inuenire non potui.

plantarum, animalium, metallorum et supellectilium enarrauit, quod Galenus gloss. p. 402, cui hanc notitiam debemus, magno ei uitio uertit; quod utrum iure huc rettulerim necne, ambigo. quod si fecit Heraclides, non inutilem saltem operam consumpsit, ut concedet qui secum considerauerit mirum quantum eos, qui de talibus rebus scripserunt, inter se dissentire. sed potuit quoque haec in commentariis tractare, quos in omnes Hippocratis libros ab eo editos esse scimus ex Galeno comm. Hippocr. de offic. med. I t. XVIII B p. 631 K. ita enim Erotianus p. 115, 3 interpretationem uocis *στλεγγίδα* ex eius commentario secundo in Hippocr. librum quartum epidemion laudauit. ualde igitur dolendum est, quod quamnam inter commentarios et lexeis rationem Heraclides intercedere uoluerit, utrum lexeis illos an illi uice uersa lexeis suppleuerint, prorsus nescimus. — Ut uero Bacchio et Philino et Epicli non defuerunt qui contradicerent, ita contra Heraclidis lexeis uoluminosum opus, quod octodecim libros conplectebatur, elaborauit Apollonius Citiensis (Erotian. p. 32, 1), quem eundem esse atque Apollonium, qui *Μῦς* adpellatur, probare adnisi sunt Sprengelius *gesch. der medicin* I 559 et Harlesius anal. hist. de Archigene et de Apolloniis medicis p. 17. ex hoc opere fortasse petita sunt, quae Erotianus p. 81, 9 Apollonium de uocibus *κλαγγώδης φωνή* protulisse ait.

G l a u c i a s empiricus uno libro multorum uersuum (*πολυστίχῳ*) lexeis *κατὰ στοιχεῖον* digestas conprehendit, in quo tamen id ualde uituperandum esse censet Erotianus p. 35, 5 quod uni cuique uoculae, quam enarrabat, scriptis Hippocratis, in quibus legitur, adpositis copiosior iusto modo et lectoris patientia usque ad fastidium abusus est. idem consilium quod Apollonius Citiensis secutus Heraclidis Tarentini expositiones glossarum, quae omnino plausum adsecutae non esse uidentur, adgressus est. quinquies nunc in Erotianeo lexico laudatur, ita ut semel in consortio Ischomachi et Hipponactis grammatici conpareat, quorum adsensum tulit, tribus autem locis (p. 43, 16; 49, 4; 114, 5) a Bacchio dissentiat. quod si non ita esset, eum Bacchii sententias contra Heraclidis

iudicia tuitum esse coniectarem. quod ut faceret, ualde Glauciam permouere potuerunt prauae et futiles uerborum interpretationes, quas Heraclides protulerat. cf. Erotian. p. 22,19; 76, 14; s. u. *μᾶσσον* p. 95, 6. porro Glauciae sunt, quae Erotianus s. u. *πῖαρ* rettulit: *πῖαρ· τὸ λιπαρώτατον καὶ νοστιμώτατον. καὶ πιαρὸν τὸ λιπαρόν*, cui similia ex Glaucia exhibuit Hesychius III 295: *πέαρ* (fortasse *πῖαρ* legendum)· *Γλαυκίας λιπαρόν*. quo tamen loco MSchmidtius dubitat, utrum nostrum medicum intellegat an glauciam herbam, e cuius foliis papauereis pinguioribus succus copiosus profluebat ad oculorum adfectus propter refrigerandi uim utilissimus. quod si non extra dubitationis aleam positum est, eo certius ad nostrum medicum referenda est alia glossa eiusdem Hesychii IIII 8: *σαμίθῃ· ῥόφημά τι, ὡς Γλαυκίας ὁ ἰατρός*.

Medicorum denique, qui in Hippocratis elocutione explicanda tempus consumpserunt, agmen claudit Lysimachus Cous[33]) a scholiasta Nicandri Alexipharm. 376 p. 98 ed. HKeil *ὁ Ἱπποκράτειος* adpellatus, qui totius Hippocratis lexeos enarrationem uno uolumine absoluere conatus est. bis apud Erotianum laudatur p. 58, 8, ubi cum Bacchio *πλιχῶδες* pro *βλιχῶδες*, quod in Hippocraticis exemplis circumferebatur, scribens *ἐξεπτυγμένον* interpretatus est, et p. 125, 2 s. u. *τράμιν*, quam *σφιγκτῆρα* esse contendit. ad lexeon uolumen porro refero eius de *δορυκνίῳ* planta sententiam, quam ita uocatam esse censebat *διὰ τὸ ξύλον εἶναι κνίφης παρασκευαστικὸν τοῖς προσενεγκαμένοις*. cf. schol. Nicand. l. c. ad nostrum Lysimachum[34]) Schmidtius Didymi

33) Diuersus a Coo non esse uidetur Lysimachus, qui in indice scriptorum georgicorum nominatur apud Varronem de re rust. I 1, 9. legitur ibi in numero eorum, quorum patriam sese ignorare Varro fatetur. ceterum eundem Plinius inter auctores librorum XIIII, XVII et XVIII commemorat.

34) Nescio ex quo Lysimachi opere delibata sint, quae apud Plinium n. h. XXV 7, 72 leguntur: ***Inuenit et Lysimachus quae ab eo nomen retinet, celebrata Erasistrato. folia habet salicis uiridia, florem purpureum, fruticosa, ramulis erectis, odore acri. gignitur in aquosis. uis eius tanta est, ut iumentis discordantibus iugo inposita asperitatem cohibeat.***—Lysimachi nomen conparet quoque in indice auctorum libri XXVIII, in quo medicinae ex animalibus paratae a Plinio tractantur.

fragm. p. 184 haud scio an recte articulum Hesychii IIII 53 *σκῦρος· ἀργιλλώδης. Λυσίμαχος τὴν λατύπην* rettulerit, quem Stiehlius in philol. IIII p. 106 *νόστων* scriptori, cuius reliquias conlegit, uindicauit. — Praeter ea Lysimachus tres libros scripsit contra Cydiam Mylasensem et Herophili sectatorem, qui et ipse dictionem Hippocratis tractauisse (cf. Erotian. p. 79, 15) neque tamen multum praestitisse uidetur, si quae Erotianus l. l. inde laudauit conparaueris. quorum librorum memoria quantumuis hodie plane oblitterata sit, tamen eos olim auctoritate multum ualuisse eo probatur, quod articulus *τὰ* ab Erotiano librorum numero antepositus est. hunc uero Lysimachum Fabricius apud Erotianum l. c. suffecit Ischomacho,[35]) scriptori prorsus ignoto, qui ibi in contubernio Cydiae Herophilii est. cf. Erotian. l. l. quae coniectura si uera est, id quod equidem uehementer in dubium uocandum puto propter fragmentum LXV, ubi idem Ischomachus in consortio Glauciae et Hipponactis grammatici adparet, tum hic Erotiani locus ad Lysimachi libros contra Cydiam referendus est. — Neque plus profecisse spondeo studium uocabulorum reconditiorum Hippocratis opera, quam in eis inpendit Demetrius Epicureus, qui Lacon cognominabatur (Diog. Laert. X 26). locum enim Hippocratis ex prognos. coac. VII 32, 550 haustum, cuius interpretationem nobis Erotianus p. 81, 3 seruauit, Demetrius tam falso intellexit et explanauit, ut *κλαγγώδη ὄμματα* uerbis, quae sociata quoque modo uertis nihili sunt, coniunctis uere interpretationis monstrum procrearet. Lysimachus autem cum contra inconparabilem istum interpretem libros tres emisisset teste Erotiano p. 32, 6, ea, quae Erotianus p. 81, 4 contra Demetrii interpretationem monuit, ex Lysimachi opusculo originem duxisse ueri non dissimile est. fortasse quoque apud Photium p. 622, 22 huius Demetrii fragmentum aetatem tulit. etenim

---

35) Ischomachus utrum medicus an grammaticus fuerit, non constat; Littréus ad Hippocr. t. I p. 92 not. 11 eum fortasse eundem esse existimauit atque Istomachum, qui *περὶ τῆς Ἱπποκράτους αἱρέσεως* scripsit. cuius scripti librum primum citauit Soranus de uita Hippocr. t. III p. 850 sq. ed. Kuehn. cf. Vossius de hist. gr. p. 560 Westermann.

glossam medicam ὑπέρινος· ὑπερκεκαθαρμένος. οὕτως Δημήτριος, quam ex Aelio Dionysio Eustathii p. 877, 12 Photius sumpsit (cf. Phryn. app. soph. p. 69, 15 Pollux IIII 179, Galen. gloss. p. 582), ad Epicureum nostrum referendam esse arbitror.

Medium inter medicos et grammaticos Hippocraticarum glossarum interpretes obtineant ei, qui commentariis Hippocratis scripta inlustrauerunt. ex quorum numero permagno Erotianus p. 37, 9 s. u. ἀλυσμός laudat Herophilum, cuius memoriam ad commentarium prognostici reuocandam esse euici prolegom. p. XXIII n. 24. Zeuxis ἐν β̄ τῶν ἐξηγητικῶν citatur (p. 85, 5) et Heraclides Tarentinus ἐν β̄ ἐξηγητικῷ τῆς δ̄ ἐπιδημίας (p. 115, 4), de quo cf. prolegom. p. XXXVIIII. Apollonius Citiensis ἐν τῷ περὶ ἄρθρων adfertur p. 53, 1. cuius commentarius cum talem indicem habeat — nam etiam nunc omnium manibus teritur — haud scio an Apollonii Memphitis[36]) liber qui inscribitur περὶ ἄρθρων (p. 52, 17), nihil aliud fuerit quam commentarius ab eo in Hippocratem de articulis conscriptus. sequi iubeo Pasicratem ἐν τῷ ἐξηγητικῷ τοῦ μοχλικοῦ (fragm. XXXVIIII) et Asclepiadem Bithynum, ex cuius commentario in Hippocratis κατ' ἰητρεῖον Erotianus p. 116, 1 expositionem uocis σκέπαρνος delibauit. finem facit Lycus Neapolitanus, qui quando uixerit non constat. cf. Littréus l. c. t. I p. 97. cuius ἐξηγητικὸν τοῦ περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον laudatur p. 58, 8; indidem aliud eiusdem Lyci fragmentum (p. 47, 15) fluxisse recte monuit Littréus l. c. uol. I p. 98. dubius autem haereo ad eundem commentarium pertinuerit necne, quod Photius p. 473, 21 seruauit fragmentum: πύθω· σήπω. — Λύκος δὲ ὁ Νεαπολίτης καὶ τὸ πύον ἐντεῦθεν ὀνομασθῆναί φησιν· ἔστι γὰρ σεσηπὸς αἷμα. praeterea eum Plinius n. h. XX 20, 220 adfert et eius in indicibus auctorum librorum XX—XXVII meminit. sed horum omnium commentarios uix me contineo quin Erotianum ipsum non inspexisse existimem, sed ex scriptis eorum cognouit, qui ante eum in interpretatione uocabulorum Hip-

36) Toto caelo errat Kuehnius additam. ad elench. med. fasc. 3 utrumque Apollonium confundens, sed merito eum explosit Dietzius praef. schol. Hippocr. t. I p. VII.

pocratis elaborauerunt. Apollonii enim Citiensis commentarium, ut conparatio eius cum Erotiano facta aperte arguit, Erotianus non adhibuit. idem cadere puto in Zeuxin, cuius commentarios iam Galenus, qui haud multo post Erotianum uixit, suo tempore in paucorum tantum manibus esse raroque legi conqueritur. cf. Galen. t. V p. 411 ed. Basil.

Sed iam uideo orationem ad grammaticos delapsam esse, inter quos si aetatem spectas primum locum obtinet Xenocritus Cous. is enim omnium, qui in Hippocratis elocutionem inquisiuerunt, cum medicorum tum grammaticorum antiquissimus esse traditur ab Erotiano p. 31, 7, qui huius indicii testes prodire iubet Heraclidem Tarentinum, Apollonium Citiensem et Callimachum,[37]) qui Herophili sectae addictus erat. ceteroquin eius aetas incertissima est: sed fortasse Herophili tempore uixit, quia Bacchius, qui Herophiliorum sectae se adiunxerat, eum in hoc genere studiorum secutus est. quid uero Xenocritus in glossarum explanatione praestiterit, in testimoniorum penuria prorsus nescimus. certe eius merita magna non fuerunt, cum quibus uti licuerit praeparata ei nondum essent eruditionis subsidia atque instrumenta. ante omnia autem ad Ionicae dialectus proprietates animum adpulisse uidetur, si ex unico, quod nobis Erotianus s. u. ἀλλοφάσσοντες p. 39, 10 (=fragm. I) seruauit, fragmento coniecturam facere licet, quo ἀλλοφάσσειν uerbum apud Ionas in mentis alienatione dici obseruauit. consilium igitur minime spernendum in opusculo suo secutus est, si Hippocratem Ionem fuisse Ionumque dialectum usurpasse tecum consideraueris.

Longo temporis interuallo nunc peruenio ad Alexandrinos grammaticos, e quorum numero innumero neminem insignem fuisse Erotianus p. 32, 7 narrat, quin in Hippocratis glossis exponendis tempus et operam consumpserit. ac sane uariae

---

37) Callimachum Herophilium qui factum sit ut conplures ut Baehrius in Paulyi encyclop. real. I 89 inter interpretes uocum Hippocratis reciperent, non intellego. quam enim de uoce θεῖον protulit Erotianus fragm. XVI sententia eius ex opere medico non minus fluxisse potest quam e lexico, de quo ceteroquin nullo testimonio ueterum constat.

causae eos inpellebant, ut in eis ingenii aciem exercerent. erat enim Cous medicus, ut Erotianus p. 30, 19 sq. ait, '*ἀνὴρ Ὁμηρικὸς τὴν φράσιν καὶ τὴν ὀνοματοποιΐαν εὐχερής, περιγράψαι τε διάνοιαν ἱκανὸς καὶ τῆς κοινῆς καὶ εἰς πολλοὺς πιπτούσης λέξεως ἐκλέξασθαι τὴν κυριωτέραν, ἵνα καθάπερ τινὲς τύποι καὶ σφραγῖδες αἱ τὴν ἑρμηνείαν πεπιστευμέναι τεθῶσι λέξεις.*' Glorioso uero quod modo commemoraui Erotiani decreto, tantum non omnes celebriores grammaticorum Alexandrinorum dictioni Hippocratis operam nauasse, minime ea prooemii pars opitulatur, qua grammaticos eius interpretes dinumerat. nempe ibi quattuor eorum dumtaxat adferri uides Euphorionem, Aristarchum, Antigonum et Didymum, quorum Antigonum neutiquam adeo clarum fuisse patet. neque nosmet ipsi plures recensere possumus, qui Hippocratem dedita opera interpretati sunt. nam ceteros qui praeter quattuor illos in lexico citantur grammaticos Apollodorum Atheniensem, Artemidorum *ἐν ταῖς λέξεσι,* Callistratum *ἐν ϛ̄ συμμίκτων*, Diodorum, Epithersem *ἐν β̄ τῶν λέξεων*, Eratosthenem,[38]) Hipponactem, Irenaeum *ἐν τῷ περὶ τῆς ἀττικῆς συνηθείας*, Polemarchum nullo aut ipsius Erotiani aut alius cuiusdam scriptoris loco cogimur, ut Coi medici lexin inlustrauisse statuamus. duos autem ex hac grammaticorum cohorte excepi, Aristophanem dico Byzantium et Nicandrum, medicum poetam, quod cur fecerimus suo loco monebimus. nihilo tamen minus Erotianus carbones nobis pro thesauro non uendidit; namque praefationis locum, de quo agitur, miris turbis et lacunis foedatum esse sententiarum hiatus, qui neminem non offendunt, aperte clamant. en ipsa Erotiani uerba: *τῶν δὲ γραμματικῶν οὐκ ἔστιν ὅστις ἐλλόγιμος φανεὶς παρῆλθε τὸν ἄνδρα· ἔτι δὲ Ἀρίσταρχος, περὶ ὧν γεγράφασιν Ἀριστοκλῆς καὶ Ἀριστοτέας οἱ Ῥόδιοι. καὶ μετὰ πάντας Ἀντίγονος καὶ Δίδυμος οἱ Ἀλεξανδρεῖς.* sic libri scripti exhibent locum, quem Schmidtius Didymi fragm. p. 24 audacter quidem sed sagaciter hunc in modum transponendo correxit: *τῶν δὲ — ἄνδρα. καὶ γὰρ ὁ ἀναδεξάμενος αὐτὸν Εὐφορίων πᾶσαν ἐσπούδασε λέξιν ἐξηγήσασθαι διὰ βιβλίων ἕξ, περὶ ὧν γεγράφασιν*

38) Cf. Meier comm. Andocid. VI 2 p. XI, MSchmidt Didymi fragm. p. 55.

Ἀριστοκλῆς καὶ Ἀριστοτέας οἱ Ῥόδιοι. ἔτι δὲ Ἀρίσταρχος καὶ μετὰ πάντας Ἀντίγονος καὶ Δίδυμος οἱ Ἀλεξανδρεῖς. sed his ita dispositis iam nouae difficultates exoriuntur, quas quo modo tollas non statim in promptu habes. *αὐτὸν* enim nunc in sententiis laceris non est quo referatur. namque *αὐτὸν* esse Lysimachum Coum, quod uoluit Meinekius anal. Alex. p. 29, non minus fide caret quam Meursii ad Hellad. p. 967 opinio, Erotianum loqui de Euphorionis hypomnemate *εἰς Λυσιμάχου τοῦ Κώου πραγματείαν.* neque firmiori fundamento innititur, quod Schmidtius l. c. coniecit, ni mirum *Λύκον* pro *αὐτόν* scribendum et clarum illum medicum Neapolitanum, quem Erotianus p. 47, 15 et 85, 8 citauit, subaudiendum esse; at neque Lycum glossas scripsisse ullo ueterum testimonio traditum est et Erotianus ipse hoc loco de grammaticis sed non de medicis loquitur. *αὐτὸν* igitur ad grammaticum referendum est, qui ante Euphorionem uixit cuiusque nomen lacuna haustum est. idem quoque cadit in ea quae secuntur *ἔτι δὲ Ἀρίσταρχος καὶ μετὰ πάντας κτλ.*, ubi iam uerbis *καὶ μετὰ πάντας*, quae perapte de duobus qui antecedunt grammaticis Euphorione et Aristarcho dici non posse consentaneum est, conplurium scriptorum nomina excidisse satis superque demonstratur, id quod docui in Fleckeiseni *n. jahrb. f. philol.* LXXXVIIII p. 285 sq. sed haec hactenus.

Praeuertor igitur ad Euphorionem Chalcidensem, ex cuius sex glossarum libris duae aetatem tulerunt laciniae, fragm. LXXVII: *ὁ δὲ Εὐφορίων τὰς χοιράδας οἴεται καλεῖσθαι* (scil. *γογγρώνας*). *εἴρηται γάρ, φησί, παρὰ τὸν γόγγρον, ὅς ἐστιν ἰχθὺς περιφερὴς καὶ ἐπιμήκης.* et p. 58, 6: *βλιχῶδες — Εὐφορίων δὲ τὸ ἐκπεπιεσμένον καὶ κατάξηρον.* cum autem aliunde nihil de glossographicis Euphorionis studiis notum sit, Bernhardyus *gr. litteraturgesch.* II 644 librum Chalcidensi abiudicandum esse arbitratus est. sed etiamsi longe maximam eius librorum partem in studiis potissimum historicis, antiquariis et mythologicis uersatam esse conspicimus, inde nequaquam iam consequitur ut glossarum opus non conposuerit. nonne enim relicui grammatici Alexandrini, qui paene eadem atque Euphorion

studia colebant, etiam glossas scripserunt? sane, namque Philetae Coi *γλῶσσαι ἄτακτοι* (schol. ad Apoll. Rhod. IIII 989), Callimachi *πίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν* et *ἐθνικαὶ ὀνομασίαι* (cf. OSchneider de Callimachi operum tabula, quae ap. Suidam extat p. 8), Eratosthenis spatiosum opus *περὶ κωμῳδίας*, quo '*uerba explicauit, quae non uulgaria usu aut Alexandrinorum iudicio obscura uiderentur*,' Nicandri denique *γλῶσσαι* saepenumero laudantur. neque uero e cognominibus, qui apud ueteres laudantur Euphorionibus (cf. Vossius de hist. gr. p. 143 Westermann) quisquam inuenitur, cui aptius glossarum libri adscribantur; quare in Chalcidensi steti.

Subiungam Aristophanem Byzantium, qui, quamquam singularem libellum de Hippocratis lexi non elaborauit, tamen nullus dubito quin eam saepissime respexerit, unde ionicas glossas peteret, quas iuxta atque atticas et laconicas in lexeon opere, quod uasto ambitu fuisse perquam probabile est, tractauisse eum persuasum habeo. Aristophanes apud Erotianum octo locis laudatur, quorum tres diserta mentione referuntur ad *ἀττικὰς λέξεις*, unus ad *ὑπομνήματα*, dummodo Aristophanis nomen ne hic corruptum sit. quattuor relicui certam sedem spernunt. sed extant etiam aliae glossae apud Erotianum, quae tacito quidem auctoris nomine leguntur, attamen ex Aristophane fluxerunt, ueluti p. 57, 3 glossa *ἄλφιτα προκώνια· τὰ γινόμενα ἐκ τῶν ἀφρύκτων κριθῶν οὕτως Ἀττικοὶ καλοῦσιν.* quibus cum contendere iuuabit Harpocr. p. 158, 12 *προκώνια· — Δίδυμος δὲ προκώνια, φησί, πυροὶ μέλιτι κεχρισμένοι. Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς καὶ Κράτης τὰ ἐξ ἀφρύκτων κριθῶν οὕτω φασὶν ὀνομάζεσθαι.* conf. Hesych. s. u. *πρόκωνα* III 381, Etym. magnum p. 700, 6, Nauck Aristoph. Byz. p. 223. eidem Aristophani uindicandi sunt qui secuntur tres Erotiani articuli p. 56, 9 *ἄρδαλον* conl. Eustath. p. 1761, 29 sq., Nauck l. c. p. 203.—p. 79, 7 *ἰξαλῆ· τελείας αἰγὸς δέρμα, ἣν μηλωτὴν καλοῦσιν* conl. Eustath. p. 877, 53. 1828, 56, Nauck p. 199.—p. 108, 3 *πρόβατα· οὕτω καλεῖται κοινῶς πάντα τὰ τετράποδα* conl. Eustath. l. c., Nauck p. 200. quibus adde p. 17, 8 *μῆλον κτλ.* conl. Eustath. l. c.

Magistrum sequitur discipulus Aristarchus, quem in Hippocratis uerbis explicandis uersatum esse ex praefatione Erotiani adparet. ex cuius studiis quantam utilitatem interpretatio uocabulorum Hippocraticorum perceperit, inde optime intellegitur quod is demum ueram horum studiorum rationem detexit. quae quis fuerit, tam bene exposuit Galenus gloss. p. 400, ut integra eius uerba e re uideatur adscribere: *ὅσα τοίνυν τῶν ὀνομάτων ἐν μὲν τοῖς πάλαι χρόνοις ἦν συνήθη, νυνὶ δ᾽ οὐκέτι ἐστί, τὰ μὲν τοιαῦτα γλώσσας καλοῦσι καὶ ταύτας ἐξηγησόμενος ἔρχομαι· τὰ δὲ ἄλλα πάντα ὅσα ζητήσεως μὲν οὐχ ἧττονος προσδεῖται, συνήθη δέ ἐστιν εἰς τάδε, κατὰ τὰς τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν ἐξηγήσεις ἄμεινον ἐπισκοπεῖσθαι. τίς γὰρ ἡ κρίσις καὶ τί τὸ θεῖον καὶ τί τὸ ἀρτίως καὶ τίς ἡ ἐπ᾽ ἄκρων εὐεξία καὶ πάνθ᾽ ὅσα τοιαῦτα λόγου μὲν παμμήκους εἰς ἐξήγησιν δεῖται, συνήθη δέ ἐστιν οὐδὲν ἧττον ἢ βίος καὶ βραχὺς καὶ τέχνη καὶ μακρά καὶ καιρός καὶ ὀξύς· καίτοι καὶ τούτων ἔνια δεῖταί τινος ἐξηγήσεως. ὅθεν ἐμοί γε καὶ θαυμάζειν ἐπῆλθε τῶν ἅπασαν ἐξηγεῖσθαι τὴν Ἱπποκράτους λέξιν ἐπαγγειλαμένων, εἰ μὴ συνίασιν ὅτι πλείω παραλείπουσιν ὧν διδάσκουσιν.* Quis uero haec omnia Aristarchum postquam in Homero primus intellexerit et praestiterit non in Hippocrate quoque fecisse credet? quapropter non glossas scripsisse sed in continua medici interpretatione uersatus esse uidetur, fortasse in consuetis uocabulis etiam plus operae inpendens quam in rarioribus obscurioribusque, quem ad modum in Homero rem egisse eum demonstrauit Lehrsius de Aristarchi studiis homericis p. 54 sq., qui omnino de hac re tam egregie disputauit, ut, si rem denuo tractare uellem, acta agerem, id quod ueteri prouerbio uetamur. — Aristarchus uero licet in lexico ipso nunc nominatim non laudetur, tamen conplures articuli in eo sunt, in quibus adcuratam et subtilem eius doctrinam seruatam tenemus: id quod ex Erotiano cum scholiis homericis conparato clare perspicitur. Iam mihi confer sis Erotian. p. 62, 3 *δορπηστοῦ· τοῦ τῆς ἑσπέρας καιροῦ παρὰ τὸ δορὺ παύειν. ὃ γὰρ ἡμεῖς ἄριστον καλοῦμεν, οἱ παλαιοὶ δεῖπνον ὀνομάζουσι, μεθ᾽ ὃ δεῖ πονεῖν,* cum schol. β 20 *τρισὶ δὲ τροφαῖς ἐχρῶντο. καὶ τὴν μὲν πρώτην ἐκάλουν ἄριστον.*

κτλ. — τὴν δὲ δευτέραν δεῖπνον, τὸ καθ' ἡμᾶς λεγόμενον ἄριστον, καὶ ἔστι κατὰ τὸ ἔτυμον δείπονον, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν, ὅπερ ἐστὶ ἐνεργεῖν. Lehrs de Aristarchi studiis hom. p. 132 sq. — Erotian. p. 71, 10 ἐπίστανται· δύνανται cum schol. *Π* 142 ἡ διπλῆ, ὅτι ἀντὶ τοῦ ἐδύνατο. cf. schol. *N* 223, *Φ* 320, Lehrs Arist. p. 150. — Erotian. p. 90, 13 κρήγυον· ἀληθές. οἱ δὲ ἀγαθόν cum schol. *A* 106 ὅτι ἅπαξ εἴρηται τὸ κρήγυον, καὶ οὐκ ἔστιν ἀληθές, ἀλλ' ἀγαθόν.—Erotian p. 90, 16 λέγων· διακρίνων. καταριθμούμενος cum schol. *N* 276, Lehrs p. 150. — Erotian. p. 112, 13 γράψαι cum schol. *Z* 169, Lehrs p. 103.—Erotian. p. 108, 3 πρόβατα cum schol. *Ξ* 124, Lehrs p. 108. — Erotian. fragm. XXXVIIII ἐπιγουνὶς δὲ τὸ ἀνώτερον μέρος τοῦ γόνατος et fragm. XXXII ἐπιγουνίς· τὸ πρὸ τοῦ γόνατος ἄνω σαρκῶδες τοῦ μηροῦ. οἱ δὲ τὴν ἐπωμίδα cum schol. Arati u. 254 παρ' Ὁμήρῳ (ϱ 225) δ' ἐπιγουνὶς τὸ ἄνω τοῦ γόνατος ὡς Ἀρίσταρχος, ὡς δὲ Κράτης ἐπωμίς. ex Aristarchearum interpretationum copia fluxisse quoque statuerim Erotianum p. 61, 4 γυῖον· — κατὰ γὰρ τῶν μελῶν ἰδίως τέτακται, quocum Hesychius I 449 concinit, quamquam Aristarchus ipse γυῖα non omnia corporis membra sed manus tantum et pedes esse decreuerat. cf. schol. *Ω* 514 sed Hippocratem huic uoci eandem quam Homerus significationem tribuisse ideo pro certo habeo, quippe qui Erotiano testificante p. 30, 19 sq. ἀνὴρ Ὁμηρικὸς τὴν φράσιν esset. ut Erotiani inscitia aut eius, quem exscripsit, Aristarcheam interpretationem immutauerit, id quod non adeo raro factum est. si quidem optimas eius obseruationes et placita non numquam cum ab ipsis discipulis tum a posterioribus grammaticis deflexa atque detorta esse scimus. cf. Lehrs l. l. p. 71 conl. schol. *Π* 807.

Inter fontes Erotiani recepi quoque Nicandrum Colophonium 'ἅμα γραμματικόν τε καὶ ποιητὴν καὶ ἰατρόν' (Suidas s. u.), qui amplum glossarum opus ad litterarum ordinem conposuit. id genus nunc tria frustula in lexico restant, quae recte OSchneider in Nicandreis p. 206 propter Erotianeum 'Νίκανδρος ἐξηγεῖται' huc reposuit, de duobus tamen dubitans alione referenda sint. sed ubi eum προγνωστικὰ δι' ἐπῶν scripsisse consideraueris, quae nihil aliud erant quam conuersum Hippocratis

prognosticon, uix dubitabis, quin Hippocratis quoque lexin in glossarum opus sedulo conportauerit, praesertim cum reliquiae eo ducant; cf. Erotian. fragm. XXXXI, et p. 48, 17. neque huic sententiae illud officit, quod Nicander in numero explanatorum uocum Hippocraticarum, qui in prooemio Erotiani nominantur, non conparet, quandoquidem illam partem prooemii mutilatam esse argumentis supra conuici.

Antigonus, de quo post MSchmidtium Didymi fragm. p. 27 nuper adcuratius Th. Bartholdus de schol. in Eurip. uet. fontibus Bonnae 1864 p. 23 sqq. disputauit, inter interpretes laudatur p. 32, 11 et interpretatio uocis πηρῖνα p. 111, 3, quae manca est. idem Nicandrum commentatus est et nisi fallor Theriaca sola; namque in ea tantum eius explicationes et lectiones octo commemorantur, cum in Alexipharmacorum scholiis non citetur. neque diuersus esse uidetur ab interprete Euripidis, cuius de Niobes liberorum sepulcro sententiam scholia laudant. lectionem denique ἄλλως pro ἀλλ' ὅς exhibent scholia ad Ψ 319 Antigono quodam auctore, quem haud scio an nostrum esse recte statuerint MSchmidtius l. c. p. 27 et Bartholdus l. l. p. 25.

Hos omnes ultimo denique loco excipit Didymus Chalcenterus, qui Hippocratis cum libros sedulo legeret (cf. Schmidt l. c. p. 297), tum lexin singulari scriptione interpretatus est, ut ex testimonio Erotiani prooem. p. 32, 11 cognoscitur. etiamsi nomen eius in lexico ipso aetatem non tulit, nihilo tamen setius in eo sat amplam partem explanationum ex Didymeo opere, de cuius ratione nihil constat, haustarum etiam nunc latere spondeo. quin etiam in nimiae audaciae crimen neutiquam uereor ne incurram, si gradum multo longius protulero et Didymum Erotiani fontem etsi non unicum at principalem tamen fuisse contendero. primum, quo sententiam meam fulciam, argumentum repeto a Coi medici glossographis et medicis et grammaticis,[39]) qui omnes ante Didy-

39) De Aristophanis Byzantii λέξεσι ab Erotiano ipso lectis cogitauit FRankeus de lexici Hesychiani uera origine et genuina forma p. 102, merito autem addubitauit Nauckius ad Aristoph. Byz. fragm. p. 78.

mum fuerunt. ac grammatici praecipue iidem sunt, quos a Didymo saepissime consultos esse scimus quorumque memoria Didymi nisi operosa sedulitate ad nostra tempora non peruenit. qui restant paucissimi [40]) numero, Sextius Niger, [41]) Diodotus, Petronius, Dioscorides[42]) et Menestheus[43]) e medicis, ex grammaticis unicus Irenaeus,[44]) cum saeculo Augusteo uixerint, tam prope Erotiani aetatem attingunt, ut eorum scripta perbene ipse inspicere atque Didymeis copiis intexere potuerit. tum ad Didymum nos reuocant poetae, qui in Erotiani lexico adlegantur; si quidem nulli alii sunt quam quibus explicandis Didymus operam dedit. adde quod reconditioris illius multiplicisque doctrinae uestigia, qua Didymum memorabilem fuisse testis est Ammianus Marcellinus XXII 16, 16, etiam nunc in lacero Erotiani glossario conparent; cuius rei luculenta exempla habeas hos locos *ἄμβην* p. 52, 10 sq.; *ἀμφιδέξιος* p. 43 3; *καμμόρῳ* p. 85; *θεῖον* fragm. XVI; *κοχώνην* fragm. LXV.

Sed restant grauiora et uix infringenda argumenta, quibus Didymum in primis ab Erotiano in lexico condendo adhibitum esse euincatur.

Erotianus p. 47, 11 ait: *ἄργεμον· πάθος τι περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λευκωματῶδες· ὃ δὴ ἐκ τῆς παρεπομένης λευκότητος ὠνομάσθη.* — Haec Didymea esse ostendit Eustathius p. 1430, 61

40) Nondum in censum uenire possunt Apollonius *Θήρ*, Apollonius *Ὄφις*, Apollonius senior, Asclation (cf. Lydus de ostentis c. 2, ubi Ascletarionem suffectum iuit CBHasius conl. Sueton. Domitian. c. 15), Hipponax grammaticus, Philocrates Samius et Philonides Siculus, quia aetas eorum incerta est.

41) Sextius Niger, qui *περὶ ὕλης* scripsit, Augusto imperante floruit. cf. Seneca ep. 98, 13, Plutarch. de prof. in uirt. c. 5 p. 77 D, OJahn *über röm. encyclopaedien* in ber. d. sächs. ges. d. wiss. II 277 sq.

42) Dioscorides Anazarbeus ante a. 77 p. Ch. scripsit, quia opus suum inscripsit Areio cuidam, clienti Lecanii Bassi. is uero, qui consul a. 63 erat (Muratori 305, 3 Tac. ann. XV 33), anno 77 mortuus est. cf. Plin. n. h. XXVI 1, 5 Sprengel ad Dioscor. p. IX.

43) De Menesthei aetate uide prolegom. p. XII.

44) Irenaeus Heliodori metrici discipulus cum esset, qui ante Augusti tempora fuit (cf. Ritschelius ind. lect. hib. uniu. Bonn. 1840/41 p. IX), Augusteo saeculo adsignandus est.

cum Erotiano conpositus: *καὶ ἄργεμος νόσος ὀμμάτων, ἀφ' οὗ ἄργεμα κατὰ Δίδυμον τὰ ἐπὶ ὀφθαλμῶν λευκώματα*, cui adcinit Hesychius I 272 *ἄργεμα· τὰ ἐπὶ τῶν ὀφθαλμῶν λευκώματα.* cf. Schmidt Didymi fragm. p. 88.

Erotianus p. 57, 3 *ἄλφιτα προκώνια· τὰ γινόμενα ἐκ τῶν ἀφρύκτων κριθῶν οὕτως Ἀττικοὶ καλοῦσιν*, cui innuit Hesychius III 381 *πρόκωνα· τὰ ἐκ τῶν μὴ πεφρυγμένων κριθῶν ἄλφιτα.* — Didymus quidem ipse aliter statuit apud Harpocr. p. 158, 12 *προκώνια· Δίδυμος δὲ προκώνια, φησί, πυροὶ μέλιτι κεχρισμένοι.* cf. Schmidtius l. l. p. 40. sed statim Harpocration addit: *Ἀριστοφάνης δὲ ὁ γραμματικὸς καὶ Κράτης*[45]) *τὰ ἐξ ἀφρύκτων κριθῶν οὕτω φασὶν ὀνομάζεσθαι*, quae aperte declarant memoriam Aristophanis, ex quo Erotianus et Hesychius profecerunt, et Cratetis, cuius testimonium Aristophanes adposuerat,[46]) quoque e Didymo emanauisse. namque ex Athenaei potissimum locis talem Didymeorum operum rationem fuisse perspicue cognoscitur, ut scriptorum de re principum sententias[47]) in breuius contractas conponeret et '*fere ei quam primo loco poneret suum calculum adderet, indigno tamen ne ea quidem oppressa silentio, cui minorem ipse probabilitatem tribueret.*'

Tertium exemplum Didymi ab Erotiano usurpati, quod promo, nobis dabit Orus Milesius in mss. bibl. reg. Paris. apud Ruhnken. praef. ad Hesych. p. IX conl. cod. Paris. 2630 apud Bekker anecd. gr. p. 1386: *καρύκη· ἕψημά τι δι'*

---

45) Quisnam e Cratetibus cognominibus, quorum multos antiqui norant, intellegatur, non liquido constat. sed non dubito, quin recte Atheniensem esse statuerit CWachsmuthius de Cratete Mallota p. 35, qui *περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν* (cf. Suidas s. u. *εἰρεσιώνη*, Phot. u. *κύννειος*) scripsit, contra Wegenerum de aula Attalica p. 149 et Nauckium Aristoph. Byz. fragm. p. 223, qui de Mallotae libro *περὶ τῆς ἀττικῆς διαλέκτου* cogitauerunt.

46) Hunc enim in modum uerba *Ἀριστοφάνης καὶ Κράτης* explananda sunt e more grammaticorum, de quo docte egerunt MSchmidtius ad Didymi fragm. p. 289 n. 294. 344 et Naber in prolegom. ad Phot. lex. p. 10, qui conplura exempla adfert.

47) Felici fortuna factum est, ut Macrobius sat. V 18 fragmentum Didymi ipsius '*illibati, integri, non contracti*' seruauerit, unde intellegitur, quam copiosus et doctus Didymus in uocabulorum interpretatione fuerit.

αἵματος καὶ ἀρτυμάτων παντοίων. ὁ δὲ Δίδυμος Λύδιον βρῶμά φησιν ἐκ πολυτέλους σκευασίας συγκείμενον. cf. Schmidtius l. l. p. 28. — Erotianus uero p. 82, 11 haec: καρυκοειδέα· καρύκη εἶδός ἐστιν ὑποτρίμματος ἐκ πλειόνων ἀρτυμάτων συντιθέμενον. καρυκεύειν δὲ τὸ ταράττειν, quocum Hesychius II 416 consentit. sed ea quoque, quae nunc Erotianus et Hesychius exhibent, apud Didymum olim lecta esse fidem facit Etymologicum magnum p. 492, 47.

Ad Didymum porro nos ducunt scholia ad Aristoph. ran. u. 223 ὄῤῥον· — — Καλλίστρατος τὴν ὀσφῦν καὶ τὸ ἱερὸν ὀστοῦν· Δίδυμος δὲ τὴν τράμιν, οὐχ ὥς τινες τὸ ἰσχίον. cf. Schmidtius p. 77. 249. — Erotian. p. 124, 16 τράμιν· τὸν ὄῤῥον, ὅνπερ καὶ ὑποταύριον καλοῦμεν. cf. Hesych. IIII 169. quae quamquam e lexico comico Didymi fluxisse apertum est, quid obstat quo minus hoc uocabulum quoque in lexico Didymi Hippocratico extitisse adsumamus?

Didymeam denique interpretationem rettulit Erotianus p. 90, 6 κυρηβίων· τῶν ἀχύρων καὶ πιτύρων. ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις. quo apte conparari potest scholion Aristoph. uesp. u. 968 ἔστι δὲ τραχήλιόν τι βραχὺ τελέως παραπλήσιον τοῖς κ υ ρ η β ί ο ι ς τουτέστι π ι τ ύ ρ ο ι ς, τοῖς ἀπὸ τῶν κριθῶν ἀποβρέγμασι, τοῖς ἀ χ ύ ρ ο ι ς. quae Didymi esse ostendit Hesychius II 557. haec quoque uox in lexi Hippocratis a Didymo exposita esse potest, quippe quam Harpocratio p. 117, 25 in pluribus scriptis enarratam esse dicat. recte enim in hanc sententiam Schmidtius Harpocrationis illa 'καὶ ἐν ἄλλοις δεδήλωται' interpretatus esse mihi uidetur.

Hac igitur conparatione instituta inter Erotiani interpretationes uocum et eas, quas certe a Didymo profectas esse aliunde constat, Didymum ab Erotiano haud raro in partes uocatum esse patefactum est.

Sed nondum nomen meum plane solui. qua de causa relicua quoque quae adhuc in Erotiano super sunt Didymi uestigia indefesso cursu inuestigare pergemus, ita ut extra dubitationis aleam ponatur, quin Erotianus in Chalcenteri agris foecundissimis plurimos fructus carpserit. cumque Didy-

mea cum Erotianeis conponentes eandem arctissimam Didymi cum Hesychio quam cum Erotiano emicare necessitudinem uideremus, unde Pamphilum[48]) quoque, quem ex Diogeniani periergopenetibus exscripsit Hesychius, ex Didymi lexico Hippocratico profecisse pateat, nunc ad Hesychianam adcedamus congeriem inque eam adcuratius inquiramus.

Contemplare igitur, quaesumus, hasce Erotiani glossas:

p. 37, 15 *ἀτρεκέως· Βακχεῖος μὲν ἐν τῷ α̅ φησὶν ἀληθῶς, αὐτάρκως, ἀκριβῶς.* — Hesych. I 316 *ἀτρεκέως· ἀληθῶς, ἀκριβῶς.*

p. 39, 9 *ἀλλοφάσσοντες.* — *Ξενόκριτος δὲ ὁ Κῶός φησι παρὰ τοῖς Ἴωσι λέγεσθαι τὸ ἀλλοφάσσειν ἐπὶ τοῦ τῆς διανοίας παραφόρου, πιθανῶς ἱστορῶν παρὰ τὸ ἄλλο φάσσειν καὶ ἄλλο φρονεῖν.* — Hesych. I 128 *ἀλλοφάσσειν· . . . . ἑτεροφρονεῖν.* cf. Schmidt. h. l.

p. 41, 13 *ἀρχαίη φύσις· ἡ πρὸ τοῦ νοσεῖν καὶ κατὰ φύσιν οὖσα.* — Hesych. I 294 *ἀρχαία φύσις· ἡ πρὸ τοῦ νοσεῖν κατάστασις· παρὰ Ἱπποκράτει.*

p. 42, 1 *ἀφθώδεα· ἄφθα λέγεται ἐξανθημάτων εἶδος περὶ τὰ τῶν παιδίων στόματα μάλιστα γινομένων.* — Hesych. I 335 *ἄφθα· ἡ ἐν στόματι ἕλκωσις. καὶ φθόη δὲ τὸ αὐτό.*

p. 42, 12 *ἀνάπλοον· τὸ κοῦφον καὶ ἔχον εὐρυχωρίαν τινά.* — Hesych. I 180 *ἀνάπλοον. . . . . καὶ ἔχον εὐρυχωρίαν.* —

p. 48, 10 *τοὺς γὰρ ἀθλητὰς ἀσκητὰς οἱ Ἀττικοὶ καλοῦσιν.* — Hesych. I 299 *ἀσκητής· ἀθλητής.*

p. 48, 17 *ἀθέλγηται· Βακχεῖός φησι θηλάζηται ἢ ἐπισπᾶται. Ἐπικλῆς δὲ ἐκπιέζηται καὶ ἐκθλίβηται, ὡς καὶ Νίκανδρος ἐξηγεῖται.* — Hesych. I 62 *ἀθέλγηται· θηλάζηται . . . . . . ἢ θλίβηται. Νίκανδρος.*

p. 49, 1 *ἀναλελάμφθαι· ἀνειλῆφθαι.* — Hesych. I 176 *ἀναλελάφθαι· ἀνειλῆφθαι.*

p. 49, 13 *αἰών· ὁ νωτιαῖος μυελός.* — — *κὰν τῷ περὶ βελῶν καὶ τραυμάτων φησί· τὸν αἰῶνα νοσήσας τις ἑβδομαῖος ἀπέθανεν.*

---

48) Quid uero, quaero, magis quoque consentaneum est, quam Phamphilum, postquam Didymi lexicon comicum et tragicum expilauerit, eodem modo Hippocratis lexin ex Didymo, qui eam singulari libello uel potius libro exposuisset, in uolumina sua transtulisse?

— Hesych. I 90 *αἰών· — — τινὲς δὲ τῶν (δὲ τὸν) νεωτέρων τὸν νωτιαῖον [μυελὸν] ἀπέδωκαν, ὡς Ἱπποκράτης· τὸν αἰῶνά τις νοσήσας ἑβδομαῖος ἀπέθανε.*

p. 54, 4 *ἀγάλλεται· Βακχεῖος ἐν δευτέρῳ φησὶ τέρπεται, οὐκ ὀρθῶς. ἔστι γὰρ γαυριᾷ κτλ.* — Hesych. I 12 *ἀγάλλεται· τέρπεται, γαυριᾷ.*

p. 54, 16 *ἀπὸ τόκου νοσημάτων· ἀπὸ γεννήσεώς φησι.* — Hesych. I 261 *ἀπὸ τόκου· τὰς ἀπογεννήσεις τῶν γεννημάτων.* cf. Schmidt. ad h. l.

p. 55, 4 *ἀρβύλαι· ὑποδήματος εἶδος.* — Hesych. I 271 *ἀρβύλαι· εἶδος ὑποδημάτων.*

p. 59, 9 *βδελλάζηται· θηλάζηται, ἀμέλγηται. εἴρηται δὲ παρὰ τὰς βδέλλας.* — Hesych. I 367 *βδαλῆται· θηλάζηται ἢ ἀμέλγηται.*

p. 60, 6 *γονίμη ἡμέρα· ἀντὶ τοῦ περιττή.* — Hesych. I 441 *γονίμη ἡμέρα· ἡ περισσὴ καὶ μὴ ἄρτιος.*

p. 60, 13 *γονή· ὁτὲ μὲν τὸ σπέρμα δηλοῖ ὁτὲ δὲ τὴν μήτραν. κεῖται ἐν πολλοῖς παρ᾽ Ἱπποκράτει.* — Hesych. I 441 *γονήν· γένεσιν. μήτραν καὶ τὸ σπέρμα.*

p. 61, 6 *γαργαλισμοῦ· γάργαλος καὶ γαργάλη λέγεται ἐρεθισμός, ἀπὸ τῶν πασχητιωσῶν γυναικῶν εἰλημμένης τῆς λέξεως κτλ.* — Hesych. I 416 *γαργαλισμός· γαγγαλισμός, ἡδυπάθειά τις· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ γάργαλος καὶ γαργάλη.*

p. 62, 14 sq. *δίκαιον· ἐνθάδε μὲν εὔλογον. ἐν δὲ τῷ περὶ ἄρθρων τὸ ὅμοιον ὅταν φῇ· ἐπειδὴ δίκαιον ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι τό τε ἄλλο σῶμα καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὰ σκέλεα, παραδείγματι χρησάμενος ὑγιεῖ πρὸς τὸ μὴ ὑγιές. ἐπὶ δὲ τοῦ ἴσου καὶ τοῦ συμφέροντος κτἑ.* — Hesych. I 513 *δίκαιον· εὔλογον, ἴσον, ὅμοιον, παρὰ Ἱπποκράτει.*

p. 63, 13 *διαρόγγας· τὰς τῶν ἐπιδέσμων διαπνοὰς καὶ τὰ μεταξὺ τούτων διαστήματα.* — Hesych. I 496 *διαρόγγας· τὰ μεταξὺ τῶν ἐπιδέσεων διαστήματα.*

p. 66, 2 *ἐπανέρεσθαι· ἐπερωτῆσαι.* — Hesych. II 135 *ἐπανέρεσθαι· ἐπερωτᾶν.*

p. 70, 7 *ἐνεκρίκωσεν· ἐνέδησεν.* — Hesych. II 93 *ἐνεκρίκωσεν· ἐνέδησεν.*

p. 70, 8 *ἐνεφλεβοτόμησε· Βακχεῖος ἐν τρίτῃ φησίν, ὅτι δι-*

εἷλεν εἰς πλείους τόπους τὰς φλέβας καὶ οἷον ἐμέρισεν. — Hesych. II 96 ἐνεφλεβοτόμει· πολλάκις διεῖλε τὰς φλέβας.

p. 83, 6 κέδματα λέγονται αἱ χρονίαι περὶ τὰ ἄρθρα διαθέσεις et fragm. XXXXVII κέδμα· ἡ χρονία περὶ τὰ ἄρθρα νοσώδης διάθεσις· τινὲς δὲ φασὶν καὶ τὴν περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια. — Hesych. II 454 κέδματα· αἱ χρονιώτεραι διαθέσεις νοσώδεις (coni. Schmidt pro librorum νόδεις) περὶ τὰ ἄρθρα· οἱ μὲν περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια, οἱ δὲ ἱππόκοτα.[49])

Praeter ea conpara mihi hos Erotiani locos:

ἀραιά p. 39, 13 sq.	et:	Hesych.	I 271 s. u. ἀρβόν[50])
ἀπολελαμμέναι κοιλίαι p. 40, 10	„	„	I 249
ἀσκαρίδες p. 40, 19	„	„	I 299, IIII 39
ἀμφιδέξιος p. 43, 3	„	„	I 159[51])
αἰθόλικες p. 46, 10	„	„	I 76
ἄλητον p. 47, 4	„	„	I 120
ἄχη p. 50, 4	„	„	I 342
ἅρμη p. 51, 1	„	„	I 284
βλιχῶδες p. 58, 6	„	„	I 381[52])
βατίδες p. 59, 11	„	„	I 364
γαργαρεών p. 60, 3	„	„	I 416
δελφύϊ p. 65, 11	„	„	I 473
ἐκθύματα p. 67, 4	„	„	II 43
ἐλατήρια p. 67, 14	„	„	II 59
ἐσματτευόμενον p. 69, 14	„	„	II 203
ἐσμασάμενος p. 72, 3	„	„	II 203
εὐλῶν p. 72, 15	„	„	II 225
ἡδύσμασι p. 74, 11	„	„	II 267
θώρηξις p. 76, 7	„	„	II 334

49) 'οἱ δὲ ὑποκάτω *scripserim, quibus uerbis si quis Hippocratis nomen subiecerit* (sic enim legendum proposuit Musurus), *non obstantem me habebit.*' MSchmidtius ad Hesych. l. l.

50) Huius uocis corruptae correctio est ἀραιόν. cf. Schmidt. ad Hesych. l. c.

51) In Hesychii l. c. enim uerbis ἀμφιδέξιον· τὴν ἑκατέροις μέρεσι τῆς μήτρας ἄῤῥεν καὶ θῆλυ γεννᾶν δυναμένην ἵππον glossam Hippocraticam latere et Ἱπποκράτης pro ἵππον reponendum esse suspicor.

52) Neque scio an in Hesychii articulo καὶ ἀκάθαρτον pro καὶ καθαρόν rescribendum sit.

Considerandi nunc sunt quinque loci fragmentorum, quibus utrumque, Erotianum et Pamphilum, communem fontem adiisse conuincitur.

fr. VI *γριφώμενα· Βακχεῖος ἐν δευτέρῳ φησὶ συνεγγίζοντα καὶ συνάπτοντα. — — εἰκὸς οὖν καὶ τὸν Ἱπποκράτην τὸ συμπαθὲς τῶν νεύρων καὶ οἷον συνελκόμενον σπασμωδῶς εἰπεῖν.* — Hesych. I 446 *γριπώμενα· συνελκόμενα καὶ σπασμωδῶς συμπαθοῦντα. οἱ δὲ συνεγγίζοντα.*

fr. VIIII *ἐκκεχυμωμένα· Ἐπικλῆς μέν φησιν ἐκπεπυωμένα καὶ ἐκχυμωθῆναι τὸ ἐκπυωθῆναι, [οὐ] νοήσας ὡς οἶμαι.* — Hesych. II 56 *ἐκχυμ(ι)ωθῆναι· ἐκπυῆσαι.*

fr. XVIIII *ῥαγή· ἀκμή, ὁρμή, βία.* — Hesych. III 417 *ῥάγα· ἀκμή. βία, ὁρμή.*

fr. XXVIII *ἡμιτύβιόν ἐστι, λινοῦν τι ἔνδυμα ἢ σινδόνιον δίκροσσον.* — Hesych. II 280 *ἡμιτύβιον· λινοῦν ἔνδυμα ἢ σινδόνιον δίκροσσον.*

fr. XXXVIIII *ἐπιμυλίδα· Βακχεῖος ἐν β̄ καὶ Πασικράτης ἐν τῷ ἐξηγητικῷ τοῦ μοχλικοῦ ἐπιγονατίδα.* — Hesych. II 161 *ἐπιμυ[λί]δας· ἐπιγονατί[δ]ας.*

Sed hic substitimus neque uoluimus copiam fragmentorum amplius extendere, postquam per decem litteras priores Hesychianae farraginis Didymea uestigia sublegimus, quae, si quis indefessus eodem modo relicuas litteras excutere uolet, facile augeri possunt. sed conlectio nostra satis sufficiet ad intellegendum, quantus fragmentorum Didymi, quae in Erotiani lexicon transmigrauerunt, sit ambitus. quodsi inter Hesychianos articulos non nulli extant, qui cum Erotiani uerbis minus consentiunt et propter uarietatem lectionis alio referendi esse uidentur, id minime curabit qui Diogeniani limpidos latices foedissimis haud raro sordibus a scribis inquinatos esse perpenderit. reconcinnata igitur tali modo Didymeae auctoritatis memoria quid igitur, quaero, luce est clarius quam Erotianeam lexeon synagogen maxima ex parte nihil aliud esse nisi minutam glossarum Hippocraticarum supellectilem, quas ferrea illa adsiduitate et sedulitate Didymus congessisset et enarrauisset? de relicuorum scriptorum Didymo posteriorum testimoniis,

quae ab Erotiano excitantur, iam supra monuimus, quae opus erant. cf. prolegom. p. XXXX.

Postquam librum bonis auctoribus usum in manibus nostris esse euicimus, ex quo diserta Erotiani mentione Galenus[53]) et Etymologus magnus[54]) hauserunt, occurrit nobis commentum Marsilii Cagnati uar. obseruat. II 28 p. 573 tam singulare, ut prae multis aliis quod commemoretur dignum sit. sed, quia libellus iste paucorum in manibus esse uidetur, e re existimo integram eius sententiam hic adscribere: '*Testimonium denique Erotiani (parcant quaeso viri eruditi nec de nostra sententia nisi prius aequo animo re diligenter aestimata quidquam pronuncient) nullius momenti esse censendum est, quoniam liber ille in temporum definitione nullam auctoritatem habere debet: namque auctori penitus ignoto adscriptus est, quamvis enim multa in eo bona notata sint, quam ob rem viri docti dignum iudicauerint, qui typis egregiis excusus doctisque adnotationibus illustratus in lucem exiret: tamen antiqui alicuius scriptoris testimonio illius auctoritatis hactenus a nullo confirmari valuit: et dignum esset admiratione Galenum vocabula Hippocratis explicaturum in prooemio ceteros eorumdem interpretes Bacchium, Herophilum, Dioscoridem iuniorem memorantem Erotianum negligere. Neque*

53) Is quidem nunc uno dumtaxat loco (p. 490) Erotianum nominatim commemorat, sed conparatione inter utrumque scriptorem instituta docemur Galenum saepenumero Erotiani copias usurpasse. si quidem etiam nunc in lacero Erotiani lexico undeuiginti glossae deprehenduntur, quas inde Galenum repetiuisse certo demonstrari potest. sunt enim hae: p. 43, 2. 46, 3. 51, 4 55, 3 58, 10. 79, 7. 84, 11 84, 14. 15. 88, 1. 95, 6. 96, 10, 103, 16. 110, 11. 110, 15. 114, 5 sq. 122, 7. 127, 11. 134, 10. qua autem ratione eum adhibuerit quantumuis certum iudicium formare non possimus, quia toti ex editionibus Galeni nondum ad codicum auctoritatem instaurati pendemus, tamen in uniuersum pronuntiare licet Galenum magna libertate libello Erotianeo usum esse; etenim uerba arbitrio suo immutauit, sententias in breuius contraxit et omnino interpretationem uocabulorum simpliciter attulit omissis quae ad eam confirmandam Erotianus adscripserat auctorum ueterum testimoniis.

54) Etymologus uero quamquam uno loco habet quae solus seruauit quaeque in nostro Erotiano interpolatoris culpa perierunt, tamen Erotianum ipsum non consuluisse uidetur.

enim ignoratum ab eo, si exstabat, credibile est; praesertim Andromacho dedicato eius volumine, quae magna erat occasio, ut in vulgus ederetur, archiatro scilicet Andromacho laudis cupido; ut facile quiuis credat ex sola archiatri appellatione, quam primus usurpasse visus est. Quapropter existimo etiam, quod habetur in ipsa exegesi Galeni in voce κάμμορον, nihil conferre ad auctoritatem Erotiani comprobandam, etsi exemplar aliquod sit, in quo Erotianus legitur, quoniam exemplaria mirum in modum inter se differunt, neque in ipso volumine, quod sub Erotiani nomine habemus, illud exstat, quod eo loco Galenus Erotiano tribuit, quamobrem probarem ea magis, in quibus Herophilus legitur, cuius etiam in prooemio meminerat, quam in quibus Erotinon vel Erotinus, ignota nomina similiter quam Erotianus. Itaque veritus sum, ne recentior aliquis temporum ignarus falso titulo et simulata dedicatione librum hunc ediderit, ut opinione vetustatis auctoritatem ei compararet, quod multis accidisse manifestissimum est.' haec uero argumenta, quibus Cagnatus suam opinionem fulciuit, adeo futilia, ut Franzius praef. ad Erotian. p. XIIII iam perspexit, et ea, quae contra proferri queant, uni cuique tam in promptu atque propatulo sunt, ut de illis manum non uerterim, hisce enumerandis supersedere me posse arbitrer.

CAPUT III.

Libri manu scripti, quibus Erotiani glossarium circumfertur, in adcuratiorem notitiam meam peruenerunt octo. ex quibus cum aetate tum uirtute primum locum sibi poscit

A = codex Vaticanus 277 chartaceus forma quaternaria maiore saeculi XIIII, qui foliis 474 constat. continet uero:

fol. 1—10 Ἐρωτιανοῦ τῶν παρ᾽ ἱπποκράτει λέξεων συναγωγή.

fol. 11 Catalogus scriptorum Hippocraticorum.

fol. 12—24 Galeni glossarium.

fol. 24—25 Soranus de uita et genere Hippocratis.

fol. 25—474 Hippocratis scripta, quorum recensum dedit Littréus in editione Hippocratis uol. X p. LX. in hac parte codicis sat multa marginibus adscripta leguntur scholia, de quibus uide quaein hisce prolegomenis p. XVII sq. disputauimus.

Quod ad Erotianum attinet, is ab una eademque manu uno tenore scriptus est. inter singulos articulos exiguum interest spatium et uerba ἀρχὴ τοῦ α β etc. semper in margine libri leguntur. inferiores codicis partes pessime se habent ita ut litterae, quae in eis scriptae sunt, nisi magna difficultate legi non possint, quo adcedit quod ab homine posterioris aetatis rasuris infectae sunt. hunc codicem eorum quos nouimus praestantissimum Bahlmanno meo intercedente Ulricus Koehler ad editionem Charterianam in meum usum adcurate excussit. — Praeter hunc etiam alius in Vaticana bibliotheca adseruatur codex numero 1134 insignitus, qui Erotianum solum continet; sed in censum uenire nequit. is enim saeculo XVII exaratus nihil aliud est, ut me Koehler certiorem fecit, nisi adcuratissimum Vaticani 277 apographon: quippe non in minutissimis solum uitiis cum eo plane consentit, uerum etiam iis locis, qui in illo propter scripturam euanidam aut chartam laesam legi non possunt, omnino tacet nosque deserit. Vaticano 277 admodum adfinis est

B = codex Parisinus inter graecos 2651 olim 3185 chartaceus quaternaria forma minori, saeculi XVI, qui solum Erotianum continet. liber pulcerrime scriptus atque perpaucis tantum mendis est inquinatus. uerba ἀρχὴ τοῦ α etc. in margine posita sunt. prima quaeque glossa unius cuiusque litterae maiusculis rubris scripta est. interpunctio, qua librarius usus est, tam mira est atque arbitraria ut eam certa lege factam non esse statim uideas. praeter conlationem, quam ipse ad editionem a Franzio curatam confeci, alia mihi ad manus erat a Cobeto parata, cuius usum Ermerins mihi liberaliter commodauit.

C = codex Vindobonensis olim numero 7 tum XXXVIII teste Lambecio comm. de biblioth. Caes. Vindob. VI 2 p. 349, nunc XLIII apud Nesselium catalog. codd. mss. gr. necnon oriental. t. I p. 3 p. 49 signatus, chartaceus forma quaternaria foliis 144 constat et saeculo XVImo exaratus est. iste liber ex eorum numero est qui ab Augerio de Busbecke, prout ipse solita inscriptione elegantissima testatur, Constantinopoli in itinere Turcico conparati sunt, unde dono eiusdem cum aliis paene trecentis in bibliothecam Caesaris Austriaci commigrauit. continet uero haece:

fol. 1—82r. Incerti auctoris iatrosophium graecobarbarum in capita CCLVII diuisum, cuius titulus: ἰατροσόφιον κοινόν. incipit autem: πρὸς ὀξὺν πόνον. κεφαλαῖον α̅. κισσὸν ξηράνας κτλ.

fol. 83r. — 121u. Ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.

fol. 122r.—138u. Incerti auctoris uariae lectiones, emendationes et notae in Hippocratis scripta et in uitam eius a Sorano conscriptam.

fol. 139r. — 142r. Catalogus alphabeticus graecobarbarus medicamentorum simplicium.

fol. 142u. — 144u. Inscriptiones Constantinopolitanae, in quibus Andreae Panhypersebasti uersus in imaginem s. uirginis Deiparae et acrostichis latina, cuius auctor fortasse Diotimus erat. postremi eius tres uersus in codice desunt.

Conlationem huius codicis, qui bonitate prope ad Parisinum

adcedit, a se factam publici iuris fecit MSchmidtius *sitzungsberichte der philos. hist. classe der kais. acad. der wissensch. Wien. 1856* t. XXI p. 268 sq. = *aus wiener handschriften* p. 4 sq. si uero non nulla, quae in conlatione typis expressa desiderantur aut secus leguntur, e codice enotata inuenies, ea operarum menda esse et a Schmidtio per litteras ad me datas correcta scito.

Medium quendam inter hosce libros optimae notae et qui nunc secuntur deteriores locum obtinet

D = codex Parisinus 2177 chartaceus foliorum forma saeculi XVI constans foliis 134. in primo folio scriptum est '*N de guig 57.*' in codice, qui ex tribus partibus conglutinatus est, insunt haec:

fol. 1—5u. Galenus de humoribus, inperfectus cum in margine inferiore folii quinti adnotetur: *ζητ' τὸ λοιπὸν ἐν ἐρίπίῳ τινὶ τῆς ἑλλάδος.*

fol. 6—9u. uacuum est.

fol. 10r.—92u. Oribasius ad Eunapium.

fol. 94r.—134r. *Ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.*

Liber diuersis manibus exaratus est, quarum Oribasium altera, altera Galenum atque Erotianum nisi omnia me fallunt scripsit. codicis, quem ipse Parisiis excussi, conlatio etiam alia praesto mihi fuit a Cobeto confecta. tertiam possedit in suum usum conparatam Dauid Ruhnkenius, quam nunc in bibliotheca Leidensi adseruari testantur Gelii uerba, quae sunt in catalogo bibl. mss. Lugd. 1852 p. 65: '*Lugd. 251 (XXIII Ru 95) 2 folia in quarto D. Ruhnkenii autographa collatio Erotiani cum cod. Reg. 2177 et alio codice.*' quis uero *alius codex* fuerit, in medio mihi relinquendum est, quia Ruhnkenius ipse eius lectiones tantum modo *B* littera distinxit. codex iste admodum uitiose scriptus est ita ut scripto saepius ex inpresso quam inpresso ex scripto libro salus peti oporteat. unde in uniuersum quidem cum deterioribus codicibus conspirat, attamen haud raro quae optimorum familia sibi habet propria praebet. maioris uero ad Erotianum emendandum momenti

ideoque qui interdum consulatur dignus est, quod in margine permultis locis adscripta est alius libri discrepantia, quae optimis plerumque libris conprobatur. praeter ea alia quaedam manus perelegans atque ab antecedenti cum litterarum characteribus tum atramento prorsus diuersa non nullis locis bonas lectiones siue mauis, quod mihi quoque non displicebit, coniecturas enotauit: quas ab Henrico Stephano profectas esse haud inepte suspicatus est Cobetus. certo enim Stephanus hunc librum in editione sua Erotiani adornanda adhibuit, quia lectiones uariae, quas in adnotationibus p. 116—154 attulit, tantum non omnes nunc in codice et eius margine inueniuntur. si uero non nullae ab eis quas margines exhibent leuiter discrepant, id facile explicatur modo quo tum temporis uiri docti in adferendis codicum lectionibus utebantur. ceterum res facillime confici posset, si quid a Stephani manu scriptum reperiretur: quod neque Cobeto neque mihi, cum Parisiis degeremus, contigit.

Deinde commemorandi sunt:

F = codex Parisinus 2614, olim Colbertinus 2228, Regius 2750$_{3\ 3}$ chartaceus forma foliorum saeculo XVImo scriptus, qui foliis 27 solum Erotianum continet. in primo folio legitur *Quatorze* et in fine libri *τέλος ἀμὴν*. codex neglegenter et mendose exaratus est a librario linguae graecae inperitissimo, ita ut quae in archetypo suo legeret non intellecta fideliter depingeret: cuius rei luculentissimum exemplum habes p. 58, 14 *τόμε τάνω θρείας* pro *τὸ μετὰ νωθρείας*. exemplum, ex quo hic liber fluxit, iam uitiis innumeris scatuit, quorum plurima scripturae conpendiis perperam intellectis originem debent; inprimis uero lacunis foedatum erat. unde correctoris manus cum lacunas sat multas expleuit tum lectiones conplures egregias, quarum aliquot cum optimis codicibus consentiunt, margini adscripsit. quarum pars magna quamquam coniecturae esse uidentur, tamen uere egregiae sunt, ut eas minime spernendas esse putauerim. eius modi sunt ut a lacunis incipiam: p. 36, 2 *ἃ δὲ θεραπευτικὰ* quae in omnibus libris desunt; p. 33, 14:

σπουδάσαντες, ubi ceteri libri ἑρμηνεῦσαι εὔλογον tantum exhibent. correctio aperte uera, quam postea etiam Turnebus inuestigauit, est χειρουργείαν p. 36, 11 pro χρόνους uel χρόνον librorum. porro alia manus eaque recentissima atramento rubro menda correxit et lacunas, quae prioris correctoris aciem oculorum effugerant, adiecit. huius libri frater gemellus est:

O = codex D'Oruillii, qui nunc in bibliotheca Bodleiana apud Oxonienses seruatur numeris X I 1, 3 insignitus, chartaceus, in folio saeculi XVI. cf. codd. mss. et impr. Doruill. in biblioth. Bodl. apud Oxon. seruati. Oxonii 1806 p. 2. liber satis bene exaratus conplectitur:

fol. 1—143 Oribasii conpendium.
fol. 144—165 Galeni glossarum Hippocr. expositio.
fol. 166—190 ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.
fol. 191—213 Galeni definitiones medicae.
fol. 244—245 Galeni ἰατρὸς ἢ εἰσαγωγή.

Erotiani conlationem, quam Joa. Steph. Bernardus medicus ad editionem HStephani confecit, D'Oruillius publicauit in miscellan. obseruat. crit. nou. t. VIIII p. 999—1019 addito ad calcem tomi lectionum uariantium spicilegio. hic liber, quem primus Franzius in editione sua in subsidium uocauit lectionibus admodum neglegenter cum lectore communicatis, tam proxime ad Parisinum 2614 (F) adcedit, ut paene nulla, ne leuidensissima quidem, scripturae uarietas in eo existat, quem D'Oruillianus non exhibeat. ut ex eodem utrumque fonte descriptum esse luce clarius sit, id quod quoque Darembergius *not. et extr. des manuscr. méd.* t. I p. 116 obseruauit.

G = codex Parisinus 2615, Regius 2145, inter Baluzianos 253 chartaceus, forma foliorum, saeculi XVI. erat olim, ut inscriptio primi folii docet, J. B. Hautinii,[55]) unde in bibliothecam Baluzii cessit. ex duabus partibus nunc conpositus continet:

55) Uidetur esse Hautinius ille e societate Jesu, qui natus a. 1595 et a. 1670 mortuus magnam operam in philosophiae studio inpendit. cf. Alegambe biblioth. script. soc. Jesu p. 203.

fol. 1—8r. *ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.*

fol. 9 sqq. Macarius Maximus *περὶ ψυχῆς,* qui, ut initio scriptum est, '*ex libro ueteri anglico manu scripto Januario 1584 transcriptus est.*'

Erotiani lexicon non integrum est, sed prooemium et litteram *α* usque ad glossam *ἄχη· λύπας* p. 50, 4 exhibent folia 1—7 u., tum sequitur parte altera folii uacua relicta haec adnotatio *4 sept A's pagne e libri A;* fol. 8r. incipit a uerbis *ἀρχὴ τοῦ ο*, et desinit in uerbis (p. 101, 3) *πρὸς ἔκκρισιν ἑτοιμάζειν.* una quaeque glossa nouo uersu scribitur. de libri origine nos certiores faciunt quae in margine primi folii adscripta leguntur: [56])

12 Augusti 1553.
Ex Grusilo(?) [57]) *qui eadem scripserat ex libro*
domini du Rondeau.

cui adcedat altera adnotatio eodem loco scripta:

Omnia haec postea, 1564, typis excussa
sunt ab Henrico Stephano, paucis admodum
literis aut uocibus mutatis, ut nihil sit
opus hoc exemplare manu scripto.

H = codex Parisinus 2151 olim 286, 2145 chartaceus foliorum forma saeculo XVI exaratus. insunt in eo:

fol. 1—12 Rufi Ephesii *ὀνομασίαι τῶν τοῦ ἀνου μορίων.*

fol. 12—47 u. Oribasii nonnulla.

fol. 49—62 *ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.*

fol. 65r.—106u. Dioscorides et Stephanus Atheniensis *περὶ τῆς τῶν φαρμάκων ἐμπειρίας.*

---

56) Hac occasione facere non possum quin BCHasium iam mortuum et Carolum Claude laudem, qui me in his uerbis, quae difficillima sunt enucleatu, recte legendis adiuuerunt.

57) Fortasse '*Goupylo*' legendum. is in Pictauiorum ciuitate natus et postea medicinam in uniuersitate Parisiensi professus multorum medicorum ueterum scripta edidit. mortuus est a. 1560 nimio adfectus dolore, quod plebs bibliothecam et libros manu scriptos inter tempestates, quae tum temporis in Gallia ortae erant, disciderat et dissipauerat.

Codicem plures librarii scripserunt; ea uero pars, quae Erotianum continet, a manu Arsenii archiepiscopi profecta est. in folii primi margine numerus *XXXIIII* scriptus est. Erotianus uero non totus inest sed prooemium integrum et glossae ab α littera incipientes omnes usque ad gl. *ἀπόπτωσιν*, tum secuntur excerpta. finem faciunt uerba *καὶ πρὸς ἔκκρισιν* p. 101, 3 folio desinente. libri lectio admodum deprauata est atque tam adcurate cum textus recensione qualis in libris typis expressis legitur consentit, ut nisi lacunae, quae hic illic extant, me dedocerent eum ex libro inpresso originem duxisse statuerem.

Praeter hosce libros, quorum similes uel geminos non dubito quin bibliothecarum umbrae custodiant plures et ipse quoque noui,[58]) alios etiam consulere operae pretium esse non

---

58) Sed ne quis aliorum quoque codicum, qui innotuerunt, memoriam desideret, eorum recensum hic subiungam:

codex Cantabrigiensis 2049 (Kk V 7) papyr. foliorum forma; foliis 20 constans saec. XV/XVI nitidissime scriptus est. fuit olim Mentelii, ut in summa pagina prima adscriptum est: '***ex bibliotheca Jacob. Mentelii. V. P. C. 1670 mens. Apr.*** ex eo lectionem *προσπαίοντα* ad Erotian. p. 46, 2 protraxit Wagner trag. gr. fragm. I 288, unde eum melioribus libris adnumerandum esse adparet. quare hic liber, si quis alius, fortasse dignus est qui adcurate excutiatur. ceterum cf. ***catalogue of the mss. preserued in univ. library of Cambridge.*** Cambridge 1856 uol. III p. 677.

codex Escorialensis Y—I—9 chartaceus in folio saeculi XVI, foliis 181, e bibliotheca Hurtado de Mendoza proueniens. cf. Plüer itiner. p. Hisp. p. 167, Miller ***catalogue des mss. grecs de la biblioth. de l'Escurial.*** Paris 1848. p. 264.

fol. 1—152 Oribasii synopsis medicinalis.

fol. 153—181 Erotianus.

codex Sirletianus qui — Erotianum solum an etiam alia conprehenderit, incertum — olim inter libros grammaticos cardinalis Sirleti numerum XVI praeferebat, ut e cod. Escorialensi X—I—15 ap. Miller l. c. p. 321 adparet. Sirleti tota bibliotheca, postquam Ottobonus (Alexander VIII) et Benedictus XIII eam possederunt, in Vaticanam migrauit. sed codicem frustra quaeres ap. Montefalcon. biblioth. mss. p. 183 et in apographo catalogi biblioth. Sirlet., quod ex codice Veron. capitul. n. 270 Blumius biblioth. mss. ital. p. 129 excerpsit. nec is nunc in Vaticana extat, ut ea de causa rogatus Hirzelius me certiorem fecit.

duxi, quia emendatio Erotiani eorum subsidio non magis augeretur quam nunc iis libris fit, quorum fama percrebruit. etenim numquam futurum esse credo, ut exemplum Erotiani natiuum adhuc ordinem glossarum seruans — id quod iam Adriano Heringae in uotis erat — nanciscamur. si quidem omnes qui innotuerunt codices ex uno eodemque archetypo pessime iam tunc habito oriundi sunt: quod non solum ordo genuinus plane inuersus demonstrat, de quo uide quae supra uberius disputauimus (p. XIIII sqq.), uerum etiam lacunae maiores minoresque, interpolationes et deprauationes euincunt omnibus libris communes.

Iam uero si lacunas spectas, quas in libris esse monuimus, significantiores adnotabimus hasce: p. 32, 2 *τοῦ Ταραντίνου* [*Ἡρακλείδου*] p. 38, 4 *καὶ εἰς δὲ* [*κατεαγεῖσα*], *ἣν* p. 83, 10 *μέρος τοῦ τῆς μήτρας* [excidit *στόματος* uel *τραχήλου*] p. 85, 3 *ὡς τὸν πυρετὸν ψυκτηρίῳ* [*φαρμάκῳ ἐκλύειν ἢ καμμάρῳ ἢ ἄλλῳ τοιούτῳ· καὶ ἐπὴν μὴ λύσῃς τῷ ψυκτηρίῳ*] *φαρμάκῳ* p. 111, 4 *παρὰ τὸ ὡς ἐν πήρᾳ . . . . φησί* p. 125, 7 *βοηθοῦσα . . . . ὡς καὶ Εὐριπίδης κτλ.*

---

codex Nannianus CCXLIX chartaceus diptychus saec. XVI constans foliis 139, de quo uide Mingarelli gr. codd. mss. ap. Nannios patric. Venet. seruati. Bononiae 1784 p. 442. continet haec:

p. 1 *γαληνοῦ εἰς τὸ πρῶτον τῶν ἐπιδημιῶν ὑπόμνημα α'*. deest initium.

p. 106 *ἐρωτιανοῦ τῶν παρ' ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή.*

p. 123 *γαληνοῦ τοῦ ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις.*

codex Carpensis, quem nominat Ph. Labbeus biblioth. noua mss. p. 385 Erotiani librum sub titulo adferens: '*Herotiani lexicon uocum Hippocratis per alphabetum.*' cum haec bibliotheca maxima ex parte Mutinam translata sit, iste liber fortasse etiam nunc ibi latet.

codex bibliothecae patriarchatus Constantinopolitani, chartaceus forma quaternaria saec. XVII, qui Erotiani et Galeni glossaria, lexicon Herodoteum et excerpta ex Gregorio Corintho de ionica dialecto continet. cf. Bethmannus in Pertz '*archiv*' uol. VIIII p. 651.

codex Vossianus n. 2722 ab Hallero biblioth. med. pract. I 176 citatus, qui ubi nunc sit (Leidae eum non esse pro certo adfirmare possum) nescimus. cuius cum titulum titubantem esse Hallerus dixerit, ualde dolendum est, quod eum non communicauit.

codicem denique citat Cocchius ad Nicetam p. 50. cf. Haller l. c.

Nec additamentorum temere factorum iam desunt in archetypo exempla. cf. p. 56, 3 (*εἰκὸς δὲ λέγειν τὸν ἐν θερμοσποδιᾷ ἐγκρυβέντα ὀπτηθῆναι ὃν τοῦρταν καλοῦσιν*); p. 71, 13 *ἐγκύρσαι*· (*ἐγκυράσαι*) p. 95, 9 *ἐξ ἀλφίτου γινόμενον* (*πινόμενον*).

Rem uero conficiunt, ita ut ne dubitationi quidem locus detur, loci deprauati, qui maximam partem ex conpendiis scripturae male intellectis originem duxerunt. cf. p. 33, 15 *ἀπενεγκαμένους* p. 36, 11 *εἰς χρόνους ἀνηκόντων* p. 38, 4 *καὶ εἰς δέ ἢν* p. 56, 14 *ἀγρησθῶσιν* p. 64, 15 *δεινὸν αὐτίτην* p. 84, 8 *κατέρυθ* p. 108, 9 *περόνα· διάτροπιν* p. 120, 14 *σφαλάξει* p. 124, 16 *ἱππόταυρον* p. 136, 4 *χαραδρῶσιν· τελματώδους* uel *η* p. 137, 10 *χυτλάζηται· ἄλφιτα*

Atqui in tanta corruptionis conspiratione duplex genus codicum statuendum esse inde palam fit, quod ABC pleniores, integriores atque emendatiores sunt quam DFGHO, qui cum plures illis lacunas tum praeter menda omnibus communia etiam corruptiones atque transpositiones ab ABC alienas exhibent. quod ad deprauationes attinet, extat p. 38, 2 *ἄλλησιν* pro *ὅλησιν*; eodem loco post *ἀκριβῶς* repetitur *σπανιάκις δὲ ἐπὶ τοῦ ἀληθῶς* in FO. p. 67, 3 *ἐνυδρέοντα· καθυγραίνοντα* p. 68, 15 *ἑδρεστῶς* p. 71, 3 *καταστρώσας* p. 77, 13 *ἰητρεῖον· θεραπεία* p. 82, 5 *κολλίφαγε· τινὲς δὲ . . . . κολλίφαγε· τινὲς δὲ* FO p. 88, 13 *κεφαλοδέσμιον* p. 89, 7 *κυρίως· κηρίαι* p. 100, 16 *πλὴν οὖν καλῶς*. transpositionum exempla habeas haece: p. 76, 7 *ὑπ' αὐτοῦ θώρηξις* p. 81, 12 *καρυκώδη καὶ κερκώδη γράφουσιν* p. 85, 15 sq. *Διόδωρος ὁ γραμματικὸς καὶ Ζήνων ὁ Ἡροφίλειος τὸ κάμορον κάμμορον ἢ κάμαρον φασὶ* p. 98, 4 *πικρῶν τέσσαρας*. de lacunis denique uideas quaeso: p. 56, 8 *ἄναυδος· ἄφωνος. αὐδὴ γὰρ ἡ φωνή* p. 59, 7 *μισήσειν* p. 46, 16 — 47, 2 *σκληρύνει — γέγραφε* p. 80, 6 *εἴρηται — καρδάμου* p. 80, 15 *ἔστι — καρδίας* p. 89, 1 *καὶ κραύγασοι*. praeter ea interpolationibus quoque haec codicum progenies libera non est, quarum luculentissimum exemplum adferri possunt uerba *βλέννα καὶ*, quae ante *βλακός* p. 58, 11 inculcata sunt.

Ex iis igitur quae commemorauimus cum abunde per-

spiciatur omnem uetustae ac genuinae lectionis memoriam ex codicibus ABC et aliqua ex parte quoque ex D repeti, ad eius exemplaris formam Erotiani uerba refingamus oportet, quod communis horum librorum fons erat. scatent quidem etiam hi innumeris iisque foedissimis mendis, quae omnino in codicibus graecis inueniuntur: quare uocales et consonantes confusas, hiatum saepe non elidendis uocalibus admissum, σ et σσ, λ et λλ, αι, ε, ει, ι, η, υ litteras permixtas, ν quod dicitur ἐφελκυστικὸν omissum, accentus haud raro neglegentissime positos et alia id genus multa obseruabis esse commissa. at tamen librarii horum librorum ea quae in archetypo legere sibi uidebantur — namque eius scripturam cum multis locis euanidam tum propter conpendia adhibita difficilem lectu fuisse ut contendamus multa et luculenta nos inpellunt indicia — in uniuersum fideliter descripserunt. unde factum est, ut codices plerumque inter se aut conspirent aut si discrepant uarietas lectionis eius sit modi, ut de communi eorum progenie ne punctum quidem temporis addubitari liceat. neque tamen talis inter eos intercedit necessitudo, ut B ex A aut C ex A descriptus esse possit, ita ut pro uno libro habendi sint: id quod, quia omnes quos nouimus codices recentiores quam A sunt, summo iure aliquis conicere potuerit. sed A solus lectiones exhibet, quae in duobus aliis non extant, et omnino maxime egregius est, cum B et C mendis aliis et pluribus spurcati sint. magna uero socordia codex C scriptus est a librario, integris uocabulis et enuntiatis omissis: in quem errorem eum similitudo et uerborum et syllabarum plerumque induxit. cf. p. 40, 3 et 16. 41, 5. 49, 15. 67, 11. 73, 1—3. 76, 11. 92, 11. 103, 11. 107, 12. 111, 1. 112, 7. 129, 14 sq. 131, 11. 132, 9.

Relicui uero quorum notitia ad nos uenit omnes unius eiusque deterioris familiae sunt atque idcirco parui momenti. si quidem librarii eorum ea, quae legere nequibant aut non perspiciebant, proprio arbitrio corrigere aut explere studuerunt. quo factum est, ut haud raro Erotiani uerba magis deprauarent quam sordibus quae inhaerebant perpurgarent. neque uero

ita mendis inquinati sunt, ut non aliquot certe locis Erotiani uerbis lux inde repetatur.

Secutus sum igitur codicum ABC auctoritatem, ita tamen ut A eligerem, ad cuius instar in primis Erotiani uerba recenserem, quippe qui duobus relicuis uariis de causis praestet. trium horum librorum lectiones attuli omnes neque quidquam ne minutissimam quidem scripturae discrepantiam sciens uolensque omisi; deteriorum uero librorum lectionum in initio libelli pleniorem recensum dedi, postea pauciores commemoraui. neque tamen ad librorum corruptelas,[59]) quae satis multae extant, caecutire me debere putaui, sed eas, postquam diligenter examinaui neque ferri posse intellexi, scripturae uarietate adcurate perpensa coniectura emendare studui. qua in re factitanda duobus potissimum subsidiis magnopere adiutus sum. quorum alterum mihi tulerunt emendationes, quas in conlationibus duorum Parisinorum codicum a se factis Cobetus adscripsit. alterum est exemplar Stephanianae Erotiani editionis Leidense notis et coniecturis Bonauenturae Vulcanii praestantissimis in margine adscriptis instructum: quod insigni Bergmanni liberalitati debeo, qui Pluygersii tum temporis absentis uicem gerens id Bahlmanno meo in hanc urbem transmittendum

---

59) Sed non nullae in lexico extant, quas cauendum est ne quis longius iusto progressus tentare audeat. namque neque Erotiano neque eis quos expilauit semper bonis et diligenter scriptis apographis Hippocratis uti licuit. unde in scriptura controuersa, quid uerum aut falsum esset, satis diiudicare non potuit. id quod aperte ostendunt quae in lexico leguntur glossarum specimina plane ridicula, quae minime ab Erotiani librariis profecta esse possunt. eius modi sunt: *ἀγρησθῶσιν* p. 56, 14, quod idem in Didymi libello lectum esse arguit Hesychius I 32; *λορδότατον* p. 93, 2 (cf. Photius p. 230, 24); *μαράσσει* p. 97, 1; *μνῶται* p. 97, 6; *ὁλοφλυκτίδες* p. 103, 16; *πηχέδεον* p. 109, 12; *λαγανίζει* fragm. XVIII: ex quibus duo lectionis monstra nuperrime demum ex Hippocrate, in quo usque ad nostra tempora legebantur, Ermerins sagaci coniectura remouit. neque id magno opere mirabitur qui considerauerit quantas Galenus querelas effundat, cum in scribarum leuitatem interpolatorumque inpudentiam tum praecipue in temporis inuidiam, quod non antiquiorum quam trecentorum annorum uolumina (*πρὸ τριακοσίων ἐτῶν γεγραμμένα*) sua aetate adhuc super esse uoluit. cf. Galen. comm. in Hippocr. *κατ᾽ ἰητρεῖον* I praef. t. XVIII A p. 630 K.

commisit. fuit olim id Gerardi Vossii, ut inscriptio primi folii '*Sum Gerardi Vossii*' aperte declarat. is uero exemplum a Bonauentura Vulcanio acceperat, quod hisce uerbis testatur: '*Gerardi Vossii ex bibliothecâ. V. Cl. Bon. Vulcanii*[60]) *à cuj' manu sunt, quae ad oram adscribuntur.*' cf. catal. libr. tam impr. quam mss. uniu. Lugd. cura W. Senguerdii, J. Gronouii et J. Heymanni. Lugd. Bat. 1716 p. 135.

Erotianum primus quantum scimus omnium ex bibliothecarum tenebris in lucem protraxit Henricus Stephanus et dictionario medico anno M. D. LXIIII demum, postquam per sex annos in scriniis latuit, edito praefixit: quapropter hanc editionem, quia bibliopolae anno CIↃIↃLVII eam ac si iam edita esset in catalogum librorum rettulerant, *βιβλίον παλαιόκαινον* ipse adpellauit. quamquam nec quibus codicibus ad eam adornandam usus sit nec quot fuerint nominat, tamen ex lectionibus, quas inde in adnotationibus commemorauit, quodam modo quasnam inspexerit conicere licet. conplures libros ab eo adhibitos fuisse docent illa quae saepenumero in adnotatione occurrunt: '*quibusdam exemplaribus*', '*nonnullis codicibus*', '*aliis codicibus*' et quae sunt his similia. in eorum numero quin Parisini 2177 (D) et 2614 (F) fuerint, res ab omni dubitatione libera est ideo quod significantiores eorum lectiones paene omnes ab eo in adnotationibus laudantur. codicem B certe non habuit. de G et H res ad liquidum perduci nequit. Vaticanum autem codicem, quem Heluetius quidam sibi commodatum subripuit, in Stephani manus uenisse unde haec sumpserint Lambecius comm. de biblioth. Vindob. VI p. 350 ed. Kollar et qui eum expilauit Fabricius, indagare non potui. ceterum ut quid equidem sentiam libere eloquar, tota haec de Heluetio quodam eiusque furto historiola me iudice ementita est. Stephanus, cui Conradus Gesner aliquot emendationes miserat, rem ita egit, ut minora menda, quamquam ne haec quidem omnia,

---

60) De hac re hariolatur Franzius praef. ad Erotian. p. XVII neque quidquam eorum proferunt, quos testes ipse adlegat, Lambecius comm. de biblioth. Vindob. VI p. 154 et J. A. Fabricius biblioth. gr. VI p. 233, quem perperam intellexit.

tacite corrigeret, grauiora uero adnotationibus reseruaret tollenda, unde emendationes eius egregiae quam plurimae in textum quem dicunt ab eo receptae non sunt. iusto autem seuerius de hac editione iudicium est Scaligeri, qui in Scaligeranis primis s. u. Erotianus hanc sententiam tulit: *Lexicon Erotiani extat Geneuae* [?] *apud Henricum Stephanum excussum, apud quem inuenias auctores mire deprauatos, quippe qui φιλαυτίᾳ laborans temere quicquid displicet immutat et corrumpit. non ita Plantinus Antverpiensis fidelissimus typographus: edidit Lucretium correctissimum.* sed Stephanus quantum potuit praeclara praestitit, quapropter suo iure eum contra iniustum Scaligeri impetum defendit Renouardus in libro, cui inscriptionem fecit *annales de l'imprimerie des Estienne.* Paris. 1843 p. 122.

Duobus annis postea quam Erotianus graece primum prodiit, latine eum luce donauit B a r t h o l o m a e u s E u s t a c h i u s, Sanctoseuerinas medicus atque philosophus, Venetiis a. MDLXVI apud Lucam Antonium Juntam. adhibuit uero, ut ipse ait, codicem Vaticanum *uolumini Hippocratis adiunctum, totum lacerum et in plerisque locis mutilum,* quo et opera Constantini Ralli Viuianique Brunori adiutus editionem suam parauit. iste uero liber Vaticanus diuersus est a codice A, quem nos conlatum habemus, quoniam is multa emendatiora exhibet quam Eustachius. praeter eum alios etiam codices ei praesto fuisse ratione manifestum fit, qua lectiones uarias attulit. ni mirum triginta nouem locis legitur: '*aliud exemplar habet*', '*in quodam exemplari*', '*in quibusdam, aliquibus exemplaribus legitur*', '*aliqui codices habent*' uel semel '*alter codex habet*'. quinam autem hi libri fuerint, mihi indagare non contigit, quia Vaticanae bibliothecae custodes Hirzelio, quem mors praematura amicis litterisque iam abripuit, et Koehlero mea causa sciscitantibus alios Erotiani codices praeter duos illos p. XXXXVIIII laudatos non extare adfirmauerunt. ideo tamen Eustachii editio magni est momenti, quia Erotianum qualem in codice traditum accepit inmutatum se in lucem emisisse ait: quod re uera ab eo quoque factum esse fides faciunt multa. namque non modo lemmata uerum etiam uersio latina innumera

quibus libri meliores scatent menda adcurate reddunt, quae cuncta si uoluisset Eustachius leui manu tollere potuit. altera uero ex parte tot tamque egregiae lectiones in editione insunt, ut e correctoris ingenio nequaquam proficisci potuerint. praeter ea Eustachius in animaduersionibus quas addidit haud pauca emendare studuit emendauitque locis Hippocraticis, ad quos Erotiani glossae spectant, diligentissime conquisitis. quare bene meritae sunt laudes, quas ei C. Barthius aduersariorum XXXIII 1 et LIIII 4 tribuit. —

Editio quae anno 1588 Venetiis secuta est a Mercuriali exornata nullius fere auctoritatis est, quippe quae Stephani textum graecum una cum Eustachii uersione latina, quae saepissime ab eo discrepat, recusum exhibuerit.

Optime uero omnium de Erotiano meritus est Anutius Foesius, medicus Mediomatricus, in oeconomia Hippocratis alphabeti serie distincta et Francofurti a. 1588 edita, quae una cum Erotiano postea inter Hippocratis scripta Geneuae a. 1662 repetita est. is enim uiam quam Eustachius monstrauerat ingressus bene intellexit cum Hippocratem tum in primis Erotianum emendari non posse nisi Hippocratis locis, e quibus Erotiani λέξεις erutae sunt, studiose quaesitis indicatisque. quare hac molesta quidem at utili tamen opera suscepta maximam glossarum partem ad stationes suas reuocauit, ita ut nunc una alteraue rectius conlocanda relinquatur. uerba autem Erotiani ipsa — ut rara in tali homine coniunctione cum ueterum artis medicae tum omnino linguae graecae et praecipue dictionis Hippocraticae scientiam conplectebatur, — tam sagaciter feliciterque emendauit, ut plurimae coniecturarum suarum codicibus optimis nunc adcurate conlatis conprobentur. quocirca uix ullam umquam euolues plagulam, quae emendatricem eius manum non experta sit.

Piget nos, etsi uerbo tantum, Renati Charterii editionem Erotiani, quam celebri illi Hippocratis operum editioni anno 1639 foras datae anteposuit, hic adferendam esse. recensionem enim Stephanianam, receptis quae ille in adnotationibus coniecerat, tam anxie secutus est, ut etiam errores typo-

graphicos huius editionis iteraret, unde iure quod Franzius ei indidit cognomentum *simiae Stephani* mereret.

Saeculo eodem id est decimo septimo duumuiri docti de Erotiano edendo consilia ceperunt, sed in consiliis tantum modo atque promissis substitisse uidentur. G. enim Hieronymus Welschius, medicus Augustanus idemque, si Meibomio in epistola de historia medicinae scribenda credis, homo πολυγλωττώτατος, Erotiani editionem pararat, quam se tribus aut ad summum sex mensibus absoluturum esse confidebat. en eius uerba ex epistola de scriptis suis ad calcem epistolarum Joa. Ger. Vossii Augustae Vindelicorum a. 1691 emissarum p. 13a excerpta: '*praeclarus libellus, quem olim Henricus Stephanus edidit, iam dudum deficiens recudi meretur. quod facere cum animum induxissem, uersionem quoque adiicere latinam aequum existimaui una cum uersione arabica, cuius usum alias deinde ostendam.*[61]') sed morte interceptus promissis stare nequiuit. cf. Struuii introd. ad rem litt. I 12 p. 14. — Alter, qui ad Erotianum castigatum foras dandum se adcinxerat, erat Philippus Cattierius, in senatu Parisiensi patronus, qui non minorem famam in litteris philologicis quam iuridicis adsecutus est. Erotiani uero editionem ab eo praeparatam esse ex duobus foliis inpressis scimus, quae in codice B a bibliopega adglutinata sunt. folium primum continet titulum editionis, quem cum aliunde notus non sit facere non possum quin hic adscribam: *ΕΡΩΤΙΑΝΟΥ* | *ΤΩΝ* | *ΠΑΡ ΙΠΠΟΚΡΑΤΕΙ* | *ΛΕΞΕΩΝ ΣΥΝΑΓΩΓΗ* | Erotiani | Hippocraticarum | Dictionum | Collectio. | Opus medicis utile; Literatis | iucundum; Oratoribus gratum; Graecis omnibus adeo | necessarium, ut eo carere non possint absque dispendio | qui in agro Attico non desudarunt, hoc tamen exem | plari uti poterunt, nam nullae dictiones Graecae sunt qui | bus non respondeant Latinae atque ita ex Latinis sen | sum expiscabuntur.

PHILIPPUS CATTIERIUS contextum Graecum et

61) Cf. Schroeckii memoria Welschiana Aug. Vindel. a. 1678 p. 44.

Latinum recensuit | ac perpetuis commentariis illustrauit tum quoad graecismum | tum quoad materiam medicam.

Folium alterum, quod in duobus columnis uerba graeca et uersionem latinam ab ipso Cattierio factam exhibet, speciminis causa articulum ἀλυσμόν continet, in quo hasce lectiones uarias enotaui: (p. 37, 2) ἐν τῷ — ὥς ἔφαθ᾽· ἡ δὲ — ἀλύουσα ἀπεβήσατο — ἐν τῷ τετάρτῳ.

Post Foesium igitur solus est Adrianus Heringa, qui in obseruationibus criticis Erotianum arte critica tractauit. is licet subsidiis manu scriptis quidem non adiutus esset tamen notitia Hippocratis eximia instructus perquam multa ad Erotiani emendationem contulit et ordine quem supra p. XIIII genuinum esse significauimus indagato et glossis ex Hippocrate correctis explicatisque. editionem autem ab eo curatam non esse scito.

Recenti denique memoria Franzius Erotianum una cum Galeni explanatione uocum Hippocraticarum et incerti auctoris lexico Herodoteo edidit Lipsiae 1780. usus est codice Doruilliano, cuius lectiones in commentarium criticum recepit. sed nihil omnino praestitit nisi quod uno loco (p. 91, 3) Erotianum emendauit. ceterum recensionem Stephanianam recudendam curauit et in coniecturis animaduersionibusque H Stephani, Eustachii, Foesii, Heringae, aliorum adferendis prorsus adquieuit. qui factum est, ut in hac editione mirum in modum pessimas quasque lectiones in textu, in adnotationibus criticis et exegeticis optimas reperias.

I

EROTIANI

UOCUM HIPPOCRATICARUM CONLECTIONIS

FRAGMENTA

In lectionibus codicum adferendis, quibus ad haec fragmenta edenda usus sum quorumque siglae a Littréo in editione Hippocratis adhibitae fere cum meis consentiunt, has usurpaui notas:

B =	codex	Mediceus Foesii
D =	„	Parisinus 2254
E =	„	„ 2255
F =	„	„ 2144
G =	„	„ 2141
H =	„	„ 2142
J =	„	„ 2143
K =	„	„ 2145
L =	„	Laurentianus plut. LXXIIII, 1
M =	„	Parisinus 2247
N =	„	„ 2248
O =	„	„ 1868
P =	„	imperialis Sambuci
Q =	„	Fonteblandensis Feuraei apud Foesium
R =	„	Monacensis 71
U =	„	Urbinas 68
V =	„	Vaticanus 277
Z =	„	Parisinus 2148
ϑ =	„	Vindobonensis Mackii
φ =	libri omnes e quibus scholion adfertur	

ΕΚ ΤΩΝ ΕΡΩΤΙΑΝΟΥ ΛΕΞΕΩΝ

ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΟΥ

I

Ἀλλοφάσσοντες· ἀπορούμενοι καὶ τεθορυβημένοι, ὥς φησι Βακχεῖος. Ξενόκριτος δὲ ὁ Κῷός φησι παρὰ τοῖς Ἴωσι λέγεσθαι τὸ ἀλλοφάσσειν ἐπὶ τοῦ τῆς διανοίας παραφόρου, πιθανῶς ἱστορῶν παρὰ τὸ ἄλλο φάσκειν καὶ ἄλλο φρονεῖν. schol. V e schedis mss. Cobeti

ΠΡΟΡΡΗΤΙΚΟΥ

α̅

II

Δασεῖαι γλῶσσαι· αἱ ὑπὸ ξηρότητος τοσοῦτον κεκακωμέναι, ὡς μὴ διαρθροῦν τὰ λεγόμενα· δασὺς γοῦν ἦχος καὶ φωνὴ δασεῖα λέγεται ἡ πεπαχυμένῳ τῷ κατὰ τὴν προφορὰν γινομένη πνεύματι. schol. DV Littré uol. V p. 511

III

ὄμμα ἐπίχνουν οὐκ ἔστι ὀξυκίνητον, ὥς ἔνιοι φασίν, ἀλλὰ τὸ ἐναντίον δυσκίνητον καὶ κατάξηρον, εἰρημένον παρὰ τὸν χνοῦν καὶ δηλοῦν

TESTIMONIA 3 Prognost. 20 t. II 170 L(ittré) 10 Prorrhet. I 2 15 l. c. I 17

ADNOTATIO 4 κῶοσ φησὶ V: correxi 6 φάσσειν Erotianus editus 10 aliter Galen. in h. l. t. XVI p. 508 sq. Kuehn 12 πεπαχυμένη V προσφορὰν Foes not. ad Hippocr. l. d. p. 67 15 cf. Galen. gloss. Hippocr. p. 472 Hesych. II 175 οὐκ ἔστι φ: correxi ὡς ἔνιοι φασίν om. DU 16 δικίνητον U καὶ κατάξηρον om. D εἰρημένον — ξηρασίαν om. U π̔ τὸν V

τὴν περὶ τὴν μήνιγγα φλεγμονὴν καὶ ξηρασίαν. schol. DUV Littré uol. V p. 515 Daremberg notices et extraits des mss. méd. des princ. biblioth. de l'Europe p. 214

IIII

ἀφρῶδες ἐπάνθισμα· ἀντὶ τοῦ τὸ ποικίλον· καὶ ἀνθηρὰ χρώματα τὰ ποικίλα καλεῖ· ἔνιοι δὲ τὰ πορφυρίζοντα καὶ οἷον δίαιμα ἤκουσαν. schol. DV Littré uol. V p. 516

V

ἀσαφεῖς· ἀκούσομεν εἰρῆσθαι τοὺς διαλεγομένους ἀσαφῶς ἢ διὰ τὴν τῶν διαλεκτικῶν ὀργάνων βλάβην, ἣν ἐκ τῆς τῶν νεύρων κακώσεως ἔσχον, ἢ διὰ τὴν τῆς διανοίας αὐτῆς. schol. V e schedis mss. Cobeti

VI

γριφώμενα· Βακχεῖος ἐν δευτέρῳ φησὶ συνεγγίζοντα καὶ συνάπτοντα, οὐ νοήσας· ἔστι γὰρ οὐ ψιλῶς συνάπτοντα ἀλλὰ μετὰ σκολιότητός τινος· γρῖφον γὰρ οἱ παλαιοὶ τὸ αἰνιγματῶδες καὶ σκολιὸν λέγουσι. καὶ γρῖφον τὸ ἁλιευτικὸν δίκτυον ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν πλοκὴν σκολιώσεως· εἰκὸς οὖν καὶ τὸν Ἱπποκράτην τὸ συμπαθὲς τῶν νεύρων καὶ οἷον συνελκόμενον σπασμωδῶς εἰπεῖν· τὰ κατ' ὀσφὺν καὶ τὰ ὑποχόνδρια ἀλγήματα, ἔφησε, γριφώμενα ἀποσιτικὰ ἅμα πυρετῷ τούτοισιν ἄλγημα κεφαλῆς ξύντονον ἐλθὸν κτείνει ὀξέως τρόπῳ τινὶ σπασμωδεῖ. schol. DUV Littré uol. V p. 539 Daremberg p. 208

TESTIMONIA 5 l. c. I 21 9 l. c. I 34 t. V 518 L 13 l. l. I 100

ADNOTATIO 5 aliter Galen. ad h. l. t. XVI p. 557 K. *τὸ ποικίλον ἀντὶ τοῦ φ*: correxi transponendo *διαχωρήματα* suasit Foes ad Hippocr. l. d. p. 69 6 *καλεῖ* om. Foes *ἥκοντα* D *ἡγοῦνται* Foes 9 aliter Galen. l. l. t. XVI p. 579 K. *ἀκούσομεν* scripsi *ἀκούσωμεν* V 13 Hesych. I 446 EM. p. 241, 50 14 *ἔστι οὐ* D 15 *γρίφον* D 16 *γρίφον* D 18 *σπασμῶδεσ* in V legit Cobet *τὰ κατ' ὀσφὺν — σπασμωδεῖ* uerba sunt Hippocratis: om. D 19 *ὑπόχονδρα* V *ἀποσιτικὰ* ex Hippocrate scripsi *αὐτίκα* UV 20 *τούτοισιν* Hippocr. *τουτέστι* (*τουτέωσ* teste Cobeto) V *ἐς κεφαλὴν* Hippocr. *τινὶ* om. Hippocr. libri *τινὰ* in V legit Cobet

VII

φλεδονώδεα ἐκάλεσε τὰ μετὰ φλυαρίας καὶ πνευματώδους ταραχῆς ἐκκρινόμενα· ἄλλοι δὲ φασὶ μὴ δεῖν γράφειν φλεδονώδεα ἀλλὰ φλεβονώδεα, ὡς εἶναι τὰ μετ᾽ ἀλγήματος οἰδήματα. οἱ δὲ τὰ μετὰ σφυγμοῦ οἱονεὶ φλεβονώδη, τοῦ Ἱπποκράτους μηδόλως ὀνομάσαντος ἄλγημα· ἔστιν οὖν τὰ ἐν κινήσει καί τινι ταραχῇ ὄντα· φλέβας γὰρ οἱ ἀρχαῖοι καὶ τὰς ἀρτηρίας ἐκάλουν. schol. UV ex schedis Cobeti

ΠΕΡΙ ΧΥΜΩΝ

VIII

Ἄμπωτις· κυρίως μὲν οὕτω λέγεται ἡ τῆς θαλάσσης ὑπαναχώρησις οἷον ἀνάπωσίς τις οὖσα, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων σωμάτων τὴν ἐκ τῆς ἐπιφανείας εἰς τὸ βάθος τῶν χυμῶν ὑποχώρησιν ἄμπωτιν ὠνόμασεν. schol. EPϑUV Mack t. I p. 80 Littré uol. V p. 476

VIIII

ἐκκεχυμωμένα· Ἐπικλῆς μέν φησιν ἐκπεπυωμένα καὶ ἐκχυμωθῆναι τὸ ἐκπυωθῆναι, [οὐ] νοήσας ὡς οἶμαι. ἐκχύμωσις γὰρ κυρίως λέγεται, ὅταν ὁ κατὰ μέρος χυμὸς ἐκτὸς τοῦ ἰδίου γένηται ἐλύτρου. συμβαίνει γὰρ τοῦτο οὐκ ἐπὶ τῶν ἀφισταμένων σωμάτων ἀλλὰ καὶ τῶν περιτεθλασμένων, ὅταν ἀγγείου ῥήξεως γενομένης ἡ τοῦ αἵματος σύνοδος εἰς τὰ τῆς σαρκὸς πελιώσῃ ἀραιώματα. schol. EPϑUV Mack t. I p. 81 Littré uol. V p. 478

TESTIMONIA 2 l. c. I 101 t. V 540 L 10 De humoribus 1 15 l. c. 1

ADNOTATIO 2 φλενοδω^{Δα,} φ: correxit Daremberg 3 φλενοδώδα^{η} V 4 φλεβονώδα φ: correxi 5 φλεβονώδη εἶναι Erotianus editus 10 Basilii schol. mss. ad Greg. Naz. fol. 74 u. in excerptis Bastii EM. p. 87, 2 Hesych. I 153 ἄμπωτις: χυμὸσ Pϑ μὲν οὕτω om. Foes oecon. Hippocr. p. 40 οὕτω om. Pϑ ἐπαναχώρησισ Pϑ ὑποχώρησις Foes 11 οἷον-οὖσα om. Pϑ ἀνάποσίσ E καὶ] ὡσ E τῶν om. Pϑ 13 ἄμπωσιν E 15 Hesych. II 56 ἐκκεχυμωμένουσ V ut Cobeti schedae testantur τὴν ἔκχυσιν τῶν χυμῶν ἐπιαλὴς Pϑ 16 οὐ addidi praeeunte Cobeto ὡσ om. Pϑ 17 ἐλύτρου scripsi: in quod etiam Cobetum incidisse postea ex schedis eius uidi ἐρυθροῦ UV ἐρυθρόσ EPϑ: Foes oecon. p. 197 19 ὅτ᾽ EUV ῥήξεται γενομένη Pϑ 20 πελιώ^{ση}ματα ἀραιώματα U ἀραιώματα πελιώσῃ V

X

ὀργασμός· ὁ μαλαγμός· μέμνηται τῆς λέξεως καὶ Σοφοκλῆς ἐν Πανδώρᾳ λέγων·

καὶ πρῶτον ἄρχου πηλὸν ὀργάζειν χεροῖν.

καὶ Ἀττικοὶ δὲ ἰδίως λέγουσιν ὀργάσαι τὸ τὰ ὑγρὰ τοῖς ξηροῖς μῖξαι καὶ ἀναφυρᾶσαι καὶ οἷον πηλὸν ποιεῖν. schol. EPϑUV Mack t. I p. 82 Littré uol. V p. 480

XI

ὀργᾶν· ὀρέγεσθαι, ἐπιθυμεῖν τῆς συνουσίας· ὀργὰς γὰρ τοὺς τρόπους ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι, ὡς καὶ Ἀλκμάν φησιν·

ὀργαὶ μὲν ἀνθρώπων διακεκριμμέναι μυρίαι.

schol. EPϑUV Mack t. I p. 85 Littré uol. V p. 484 Daremberg p. 204

XII

γυιῶσαι· βλάψαι, κακῶσαι· ὡς Ὅμηρος·

γυιώσω μέν σφωιν ὑφ᾽ ἅρμασιν ὠκέας ἵππους.

schol. EϑV Mack t. I p. 83 Littré uol. V p. 485 Daremberg p. 204

XIII

τέρμινθός ἐστιν ἀπόστημα περὶ τὴν ἐπιφάνειαν γινόμενον μετὰ

TESTIMONIA 2 l. l. 4 — Sophocl. fr. 438 p. 188 Nauck 9 Hippocr. l. c. 6 10 Alcman fr. CXXVI p. 81 Welcker, sed Bacchylidi attribuunt Zenobius III 25 et Hesychius s. u. *δίχολοι* I 522: cf. Bergk fr. 44 poet. lyr. gr. p. 976 ed. alt. 15 Hippocr. l. s. — Θ 402 19 Hippocr. l. l. 20

ADNOTATIO 2 *ὁ* om. EPϑ *σοφωκλῆς* Pϑ 3 *Πανδώρᾳ* Daremberg: *πανδάρῳ φ* 4 *ἄρχον* Pϑ *ἀρχόν* Huschke *ἀργὸν* Brunck: probauit Schneidewin goetting. gel. anzeigen 1852 p. 429 *πῖλον* EUV *ὀργάζων* Cobeti schedae 6 *μίξαι καὶ ἀναφυράσαι φ*: em. Cobet mnemos. VIIII 45 9 Hesych. III 216 *πρὸς συνουσίαν* EPϑ *γὰρ* om. E 10 *ἀχαιοὶ* PϑUV *φησὶ* EPϑ 11 *ἐν μὲν ἀνθρώπῳ ὀργαὶ φ*: emendate Zenobius et Hesychius *διακεκριμμέναι* MSchmidt *διακεκριμέναι* Zenobius: Ruhnken ad hymn. hom. in Cer. u. 205 *κεκριμέναι φ* *βεβριμέναι* Foes oecon. p. 459 *διακεκριμέναι | μυρίαι* Bergk 15 *γυῶσαι* EV *κακῶσαι—ἵππους* om. E *ὡς* scripsi *καὶ* V 16 *γυώσω* Pϑ 19 Pollux IIII 190 *θέρμινθός* P

φλυκταινώσεως, ἧς *ῥαγείσης ἰχώρ τις ἀποῤῥεῖ καὶ ἡ ὑποκειμένη σὰρξ κατατετρημένη φαίνεται.* schol. EPUV Mack t. I p. 89 Littré uol. V p. 500

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ

XIIII

Ἰδέαν· τὴν χροιὰν λέγει ἐνταῦθα. schol. V e schedis mss. Cobeti

XV

ψόαι καὶ ψοιαὶ καὶ ψύαι· αἱ λαγόνες ἢ τὰ νῶτα παρὰ τοῦ ψαύω· ἡ ἐπιψαύουσα σὰρξ ἐπιπολῆς οὖσα τοῖς ὀστέοις. schol. F Littré uol. VI p. 59

ΠΕΡΙ ΙΕΡΗΣ ΝΟΥΣΟΥ

XVI

Θεῖόν τινες φασὶ τὴν ἱερὰν νόσον· ταύτην γὰρ εἶναι θεόπεμπτον ἱεράν τε λέγεσθαι ὡς θείαν οὖσαν. ἕτεροι δὲ ὑπέλαβον τὴν δεισιδαιμονίαν. ἐξεταστέον γάρ, φασί, ποταπῷ χρῆται τύπῳ ὁ νοσῶν, ἵνα εἰ μὲν Ἰουδαῖός τις ᾖ τὰ χοίρεια ἐπ᾽ αὐτῷ παρατηρώμεθα· εἰ δ᾽ Αἰγύπτιος, τὰ προβάτεια ἢ αἴγεια. ἄλλοι δὲ θεῖον φασὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν πάθος· Βακχεῖος δὲ καὶ Καλλίμαχος Φιλῖνός τε καὶ ὁ Ταραντῖνος Ἡρακλείδης θεῖον ὑπέλαβον τὸ λοιμικὸν πάθος διὰ τὸ τοὺς λοιμοὺς ἐκ θεοῦ δοκεῖν εἶναι· ὁ δὲ Ξενοφῶν ὁ Πραξαγόρου γνώριμος θεῖον ἔφη τὸ τῶν κρισίμων ἡμερῶν γένος. καθάπερ γάρ φησι τοῖς ἐν πελάγει χειμαζομένοις οἱ Διόσκουροι φανέν-

TESTIMONIA 6 De nat. hom. 2 t. VI 364 L 8 l. d. 11 13 De morbo sacro 1

ADNOTATIO 1 *ἴχωρ* P *ὑποκειμένε* P 2 *κατατρημένη* Foes p. 616 *κατατετριμμένη* P 8 EM. p. 819, 5 Meletius ap. Cramer. anecd. Oxon. t. III p. 92, 12 Phot. p. 655, 17 Lobeck Phryn. p. 300. pathol. elem. p. 84 *ψοιαὶ* scripsi *ψοαὶ* F 9 *ἐπιψαύσουσα* F: correxi 13 *θεῖόν τινες* ego *θεῖον τινὲσ φ* 14 *θεῖαν* E *δεισιδαιμονίην* E 15 *φασί* Ermerins *φησί* UV *φησι* E 16 *εἰ μὴν* V teste Cobeto *παραιτώμεθα* schedae Cobeti 18 *φίλινός* E 19 *καὶ ὁ Ταραντῖνος* scripsi *ὁ ταραντῖνος καὶ φ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ταραντῖνος* Littré ad Hippocr. t. I p. 76 20 *διὰ τοὺς* E *τὸν λοιμὸν* Littré 22 *γὰρ φησὶ* UV *τοὺς—χειμαζομένους* E

τες σωτηρίαν ἐπιφέρουσι θεοὶ ὄντες, ταὐτὸ καὶ αἱ κρίσιμοι ἡμέραι γενόμεναι· πολλάκις [γὰρ] σωτηρίαν ἤνεγκαν. γνωστέον οὖν, ὅτι ὁ Ξενοφῶν ἁμαρτάνει θεῖον φήσας τὴν κρίσιμον ἡμέραν· εἰ γὰρ κατὰ τὸν Ἱπποκράτην πᾶσα ἡμέρα κρίσιμός ἐστι διὰ τό ποτε μὲν τὰς ἀρτίας ὑπ' αὐτοῦ ὡς κρισίμους ὁρίζεσθαι, πλειστάκις δὲ τὰς περιττάς, δεήσει ἐπὶ τῶν καμνόντων περὶ πᾶσαν ἡμέραν σκέπτεσθαι. πρὸς τούτοις τί δήποτε πλειστάκις περὶ κρισίμων λαλήσας εἰς ἕνα μόνον τόπον θεῖον ὠνόμασε τὴν κρίσιμον ἡμέραν; καὶ οἱ τὴν ἐπιληψίαν θεῖον οἰόμενοι εἰρῆσθαι οὐκ ἀνέγνωσαν τὸν ἄνδρα· ῥητῶς γὰρ αὐτὸς ἐνθάδε μέμφεται τοὺς θεόπεμπτον ὀνομάζοντας τὸ πάθος δι' ὧν φησιν· οὐδέν τί μοι τῶν ἄλλων νούσων δοκέει θειοτέρη εἶναι οὐδ' ἱερωτέρη, ἀλλὰ φύσιν ἔχει ἣν καὶ τὰ λοιπὰ νουσήματα. οἵ τε τὴν δεισιδαιμονίαν οἰόμενοι εἰρῆσθαι σφόδρα εἰσὶν εὐήθεις· οὐ γὰρ ἔμελεν Ἱπποκράτει περὶ προγνώσεως γράφοντι μεμνῆσθαι τῶν διὰ τὰς τροφὰς νοσούντων ἀλλ' οὐδὲ τὴν μανίαν οὐδὲ τὸ ἐνθουσιαστικὸν πάθος· τοὺς δὲ λέγοντας τὸν ἔρωτα θεῖον εἰρῆσθαι, πιθανῶς λέγειν καὶ εὐλόγως τὸν Ἱπποκράτην παρεγγυᾶν, ἵνα παρατηρῶμεν μὴ ἄρα τὰ παρεπόμενα συμπτώματα δι' ἐρωτικήν τινα συμπάθειαν γίνεται . . . . . . schol. EUV Littré t. VI p. 352 sq. Daremberg p. 204

XVII

βρύχωνται· βαρὺ καὶ ἀσαφὲς καὶ ἀδιάρθρωτον φθέγγωνται. schol. DPUV Mack t. I p. 356 Daremberg p. 204

TESTIMONIA 4 uide epid. I 3, 12 t. II p. 678 L 22 Hippocr. l. c. 1 t. VI p. 360 L

ADNOTATIO 1 *ταὐτὸ* conieci *τοῦτο φ* 2 *γὰρ* cum Littréo addidi 4 *τὸ ποτὲ φ*: correxi 5 *ἀρτίας* Ermerins *ἁμαρτίας φ αὐτοῦ* scripsi *αὐτῆσ φ* 6 *δεήσει* Ermerins *δεήσαν* E *δεῆσ*^{αν} V *δεῆσασ* U *πασῶν ἡμερῶν* UV 10 *αὐτὸς* om. E 11 *φησὶν* V *οὐδέν τί μοι δοκέει τῶν ἄλλων θειοτέρη εἶναι νούσων οὐδὲ ἱερωτέρη* Hippocr. 13 *νουσήματα* ex Hippocr. scripsi *νοσήματα φ* 14 *ἔμελεν* scripsi *ἔμελλεν φ* 15 *τὰς μανίας* E 19 *λέγεται* E post *γίνεται* non nulla interciderunt

XVIII

λαγανίζει· χρωματίζει. λάγανον γὰρ εἶδος πλακοῦντος. schol. PV Mack t. I p. 364 Littré t. VI p. 385

ΠΕΡΙ ΦΥΣΙΟΣ ΠΑΙΔΙΟΥ

XVIIII

Ῥαγή· ἀκμή, ὁρμή, βία. schol. P Mack t. I p. 118 Littré t. VII p. 487

XX

βύζην· ἀντὶ τοῦ ἀθρόως. schol. EV Littré t. VII p. 493

ΠΕΡΙ ΑΓΜΩΝ

XXI

Σοφιζόμενοι· περιεργαζόμενοι. ἐν δὲ τῷ περὶ ἄρθρων τεχναζόμενοι. εἴρηται δὲ παρὰ τὸ σόφισμα, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις καὶ ἐν Δαιταλεῦσί φησι·

σοὶ γὰρ σοφίσματ' ἔστ'; ἐγὼ δ' ἐκτησάμην.
οὐκ εὐθὺς ἀπεδίδρασκες ἐκ διδασκάλου;

schol. V Daremberg p. 212 sq.

XXII

ἰγνύην· τὸ ὄπισθεν τοῦ γόνατος. schol. FG Littré t. III p. 491

TESTIMONIA 2 l. l. 13 t. VI p. 384 L, ubi nunc e codd. *θμ* recte *γαληνίζει* editur 6 De nat. inf. 1 9 l. l. 3 12 De fract. 1 t. III p. 414 L — apud Hippocr. de artic. nunc non legitur 13 Aristoph. nub. u. 205 14 Daetal. fr. XLVIII t. V 1 p. CXXXIII Meineke 19 Hippocr. l. c. 22

ADNOTATIO 2 *ἤγουν χρωματίζει* P *γὰρ* om. V 6 Hesych. III 417 Galen. s. u. *ῥαγεῖσα* p. 552 *ἔστι δὲ ῥαγὴ ἡ ἀκμὴ καὶ ἡ ὁρμή* schol. cod. H 14 *φησιν* Daremberg 15 uersus ut scripsi restituit Jacobi *ἐστίν· ἐγὼ κτησάμην* V *εἴ τιν' εἰσηγησάμην* Duebner KAT. *σοὶ γὰρ σόφισμα ποῦστ'; ἐγὼ δ' ἠσκησάμην.* | XP. *οὐκ εὐθὺς κτἑ.* Schneidewin goetting. gel. anz. 1852 p. 423 *σὺ γάρ, σοφίσματ' εἴ σ' ἔγωγ' ᾐτησάμην* Goettling ind. schol. hib. uniu. Jen. 1853/54 p. 3

ΠΕΡΙ ΑΡΘΡΩΝ

XXIII

Ὕπερος· ἴγδη, κόπανον· καὶ ὕπερον ἐνταῦθα ἐσχηματισμένον ξύλον τοιοῦτό φησιν. schol. FG Littré t. IIII p. 87

XXIIII

στρωτῆρα· δοκίδα. schol. BMN Littré t. IIII p. 90

XXV

πρόβατα· πάντα τὰ τετράποδα. schol. MN Littré t. IIII p. 96

XXVI

εἰλίπους βοῦς· ὅτι πόδας ἑλίσσων καὶ συστρέφων ἐν τῇ πορείᾳ. schol. FG Littré t. IIII p. 98

XXVII

ἐπεσοφίσαντο· ἐπεμηχανήσαντο. schol. FG Littré t. IIII p. 121

XXVIII

ἡμιτύβιόν ἐστι λινοῦν τι ἔνδυμα ἢ σινδόνιον δίκροσσον. schol. FGHJKQR Littré t. IIII p. 164

XXVIIII

τύρσις· σκήνη, πύργος, προμαχών· ἀέτωμα ἢ στεφάνη τοῦ δώματος. schol. HB Littré t. IIII p. 186

XXX

ἐσμασάμενος· ἐμβαλών. schol. BHMN Littré t. IIII p. 198

XXXI

ἀρβύλη· εἶδος ὑποδήματος. schol. H Littré t. IIII p. 268

TESTIMONIA 3 De artic. 5 6 l. l. 7 8 l. c. 8 10 l. c. 8 13 l. c. 14 15 l. c. 37 18 l. c. 43. 21 l. d. 46 23 l. s. 62

ADNOTATIO 3 Zonaras c. 1768 *ἴγδη, κόπανον* scripsi *ἰγδικόπανον* φ 4 *τοιοῦτο φησίν* φ: correxi 10 EM. p. 299, 23 Hesych. II 29 13 *ἐμηχανήσαντο* F 15 Pollux VII 71 Hesych. II 280 schol. Aristoph. Plut. u. 729 Galen. p. 480 *ἡμιτύμβιόν* J *ἢ* om. φ praeter R *σηδόνιον* R 18 *τύρσις πύργος ἐστὶν ἢ προμάχος* B

XXXII

ἐπιγουνίς· τὸ πρὸ τοῦ γόνατος ἄνω σαρκῶδες τοῦ μηροῦ. οἱ δὲ τὴν ἐπωμίδα. schol. F Littré t. IIII p. 289

XXXIII

βλαισός· ὁ παραλυτικός, στρεβλόπους, ὁ τοὺς πόδας ἐπὶ τὰ ἔξω διεστραμμένος καὶ τῷ Λ στοιχείῳ ἐοικώς. διὰ τοῦτο καὶ Λάμδα ἐκαλεῖτο ἡ γυνὴ Ἠετίωνος· εἴρηται δὲ βλαισὸς ὁ βεβλαμμένος τὸ ἴσον τῶν ποδῶν. τὸ ἐναντίον γοῦν ὁ ἐπὶ τὰ ἔσω ἔχων τοὺς πόδας καλεῖται ῥαιβὸς παρὰ τὸ διεφθάρθαι τὸ ἴσον τῆς βάσεως. schol. F Littré t. IIII p. 322

ΠΕΡΙ ΕΛΚΩΝ

XXXIIII

Ἕλκεα νῦν μὲν τὰ πρόσφατα, ἐν δὲ τῷ περὶ τραυμάτων καὶ βελῶν τὰ χρόνια οὕτω καλεῖ. schol. EUV Littré t. VI p. 400 Daremberg p. 207

XXXV

μυδῶσα· ἐκρέουσα. μυδᾶν γὰρ λέγεται τὸ ἐκρεῖν τὰ στερεὰ σώματα καὶ οἷον μαδᾶν ὥσπερ τριχῶν ἀποπιπτόντων [ἀπὸ] τῶν σωμάτων· schol. EUV Littré t. VI p. 409 Daremberg p. 207

ΚΑΤ' ΙΗΤΡΕΙΟΝ

XXXVI

Ἄρμενα· Βακχεῖός φησι τὰ ἐναρμόζοντα, οὐκ ὀρθῶς. ἄρμενα γὰρ ἰδίως λέγεται τὰ πρὸς τὴν ἰατρικὴν χρείαν ἐπιτήδεια ἐργαλεῖα οἷον

TESTIMONIA 2 l. d. 70 5 l. l. 82 13 *νῦν:* De uoln. 1 — liber *περὶ τραυμάτων καὶ βελῶν* nunc deperditus est 16 De uoln. 10. 21 De offic. med. 2

ADNOTATIO 2 Rufus Ephes. p. 33 Clinch Poll. II 188 schol. Arati u. 254 5 EM. p. 199, 21 Poll. II 193 Heyne kasten des Kypselos p. 27 *βλαισσόσ* F: em. Etym. magnum 6 *Λάβδα* Herodotus V 92 7 *βλαισσὸσ* F 13 *μὲν νῦν* E 16 Greg. Cor. p. 560 17 *ἀποπτόντων* E *ἐκπιπτόντων* Foes not. ad Hippocr. l. c. p. 874 *ἀπὸ* addidi 21 Hesych. I 284 *βακχεῖοσ φησὶ* UV *ἅρμενα* BMN

σμίλη, φλεβοτόμα καὶ τἆλλα τὰ τούτοις ὅμοια. schol. BMNUV Littré t. III p. 276 sq. Daremberg p. 213

XXXVII

καταπρηνεῖ· καταπεπτωκότι ἐπὶ πρόσωπον καὶ οἷον κάτω πρηνεῖ γενομένῳ, ὡς καὶ Ὅμηρός φησιν·

πρίν με καταπρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον

δηλῶν τὸ κατεστραμμένον. schol. UV Daremberg p. 214

XXXVIII

μύλῃ· τῇ ἐπιγονατίδι, ὡς καὶ Ὅμηρος·

μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν.

schol. DV Littré t. III p. 301

ΜΟΧΛΙΚΟΥ

XXXVIIII

Ἐπιμυλίδα· Βακχεῖος ἐν β̄ καὶ Πασικράτης ἐν τῷ ἐξηγητικῷ τοῦ μοχλικοῦ ἐπιγονατίδα. Διονύσιος δὲ Νικάνορα τὸν κατὰ Σέλευκον ἱστορῶν φησι·

τὰ δ' εἰς τὸ πρόσθεν ἀδυνατεῖ μύλης ὕπο·

καὶ Ὅμηρος·

αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἐπιμυλάδα καρπόν.

ἐμοὶ δὲ δοκεῖ τὸ ἐπικείμενον τῇ ἐπιγονατίδι δέρμα ἐπιμυλίδα εἰρηκέναι διὰ τὸ ἐπὶ τῇ μύλῃ εἶναι. ἔνιοι δὲ ἐπιμυλίδας φασὶν εἶναι

TESTIMONIA 4 l. c. t. III p. 286 L 5 B 414 9 Hippocr. l. l. 9 — *η* 104 14 Mochlic. 1 t. IIII p. 340 L 15 Dionys. com. fr. t. V 1 p. CCXX Mein. 18 *η* 104

ADNOTATIO 1 *σμιλία* BMN *φλεβότομα* UV *φλεβοτομία* B *τἆλλα* om. BMNU 5 *φησιν* in V non legit Cobet 6 *κατὰ πρηνὲς* Homerus 9 Poll. II 189 Hesych. III 127 10 *μύλης* Bekker *ἐπὶ μύλωπα* DV: ex Homero corr. Littré 14 Rufus p. 33 Clinch Galen. p. 472 Poll. II 189 Hesych. II 161 *ἐπιμυλάδα* V: correxi 15 *Νικάνορα* Darembergii coniecturam recepi *ψικάτους* V 16 *φησί* V 17 *τάδ'* Daremberg *τ'οὔμπροσθεν* V: correxit Daremberg 19 *αἳ* Bekker *μύλης* Bekker *ἐπιμυλάδα* corruptum: cf. Daremberg l. c. p. 210 *ἔπι μήλοπα* Homerus 21 *ἐπιμυλάδα* V teste Darembergio

τὰς πλατείας ἐπιφύσεις. ἐπιγουνὶς δὲ τὸ ἀνώτερον μέρος τοῦ γόνατος, [οἷον Ὅμηρός φησιν]·

οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει.

schol. V Daremberg p. 209 sq.

XXXX

ῥαιβοειδέστατον· καμπυλώτατον. ῥαιβὸν γὰρ καὶ γαῦσον τὸ στρεβλὸν λέγεται. καὐτὸς δέ πού φησι· καμπυλώταται δὲ πλευραὶ ἀνθρώπου εἰσὶ ῥαιβοειδέα τρόπον. πλασίων δ' ἐπὶ τοῦ κατά τι μὲν κοίλου κατά τι δὲ καμπύλου, ὡς Κινησίας τάττει τὴν λέξιν. schol. V e schedis mss. Cobeti

XXXXI

βαλβιδῶδες· βαθμῶδες, ὥς φησι Βακχεῖος. βαλβὶς γὰρ ὁ βαθμός· καὶ γάρ ἐστι τὸ κατ' ἀγκῶνα μέρος τοῦ βραχίονος διὰ τὸ ὡς βαθμῷ ἐπικεῖσθαι αὐτῷ τὸ τοῦ πήχεως ἐμπρόσθιον κῶλον. Ἐπικλῆς δὲ βαλβῖδα λέγει ἓν ἀνθ' ἑνὸς οἷον ἔρεισμα. Νίκανδρος δὲ βαλβιδῶδές φησιν εἶναι τὸ πλατὺ καὶ ἡρμοσμένον. — αἱ γὰρ βαλβῖδες ἕδραι εἰσὶν καὶ ἐπιβάσεις. schol. V Daremberg p. 211

XXXXII

ῥοικόμηροι· Βακχεῖός φησιν ἐξώγλουτοι· ῥοικοὶ γὰρ οἱ καμπύλοι, ὡς Ἀρχίλοχός φησιν·

TESTIMONIA 2 σ 74 6 Mochlic. 1 t. IIII p. 342 L 7 De artic. 45 t. IIII 192 L 9 Cines. fr. 2 poet. lyr. gr. p. 983 Bergk 12 Mochlic. 1 t. IIII p. 344 L 15 haec Nicandri mentio fugit OSchneiderum glossarum reliquias p. 203 sq. conligentem 19 Hippocr. l. i. 22 t. IIII p. 364 L 20 Archilochi fr. 60 p. 549 Bergk

ADNOTATIO 2 οἷον Ὅμηρός φησιν suppleuit Daremberg 6 ῥαιβὸν scripsi ῥέβὸν (μ supra) V ceterum cf. GDindorf thes. VI c. 2418 CLStruue opusc. sel. II 159 sq. 7 που φησί V: correxi 8 ῥαιβοειδέα scripsi ῥεμβοειδέα V πλασίων corruptum: fortasse Ἀσκλατίων? 12 Hesych. I 355: aliter Galen. p. 446 19 ῥοικοὶ μηροὶ Hippocr. ῥοικόμηρος et ἐξώγλουτος schedae Cobeti βακχεῖος φησὶν V: em. Daremberg

ἀλλά μοι σμικρός [τις] εἴη καὶ περὶ κνήμας ἰδεῖν
ῥοικός, ἀσφαλέως βεβηκὼς ποσσί

Ἡρακλείδης δὲ ὁ Ταραντῖνος ῥοικόν φησιν εἶναι τὸ ἔσω νεῦον καὶ σκαμβόν. schol. V Daremberg p. 211 sq.

XXXXIII

ἰγνύη· τὸ ὄπισθεν τοῦ γόνατος. schol. F Littré t. IIII p. 364

XXXXIIII

γαυσότεροι. γαῦσον λέγεται κατὰ μὲν Βακχεῖον πᾶν τὸ σκαμβόν, οὐκ ὀρθῶς. ἔστι γὰρ τὸ εἰς τὸ ἔσω ἢ εἰς τὸ ἔξω ἀποκεκλικός, καθὼς καὶ ἐν τῷ περὶ ἀγμῶν ὁ Ἱπποκράτης τάττων ἐπὶ μέρους τὴν λέξιν φησίν· ὁ δὲ μηρὸς εἰς τὸ ἔξω μέρος μᾶλλον ἢ εἰς τὸ ἔσω γαῦσός ἐστιν. schol. V Daremberg p. 212

XXXXV

λυγγώδεες· Βακχεῖος ἐν τρίτῳ φησὶν λυγγώδεις· Ἐπικλῆς δὲ σπασμώδεις. εἰσὶ γὰρ μᾶλλον λυγγώδεις οἱ μετὰ λυγγὸς τουτέστι λυγμοῦ γιγνόμενοι, οἷς ἕπεται καὶ μετὰ σπασμοῦ τινος ἀποτελεῖσθαι· κεῖται καὶ ἐν τῷ περὶ ἀγμῶν. schol. V ex schedis mss. Cobeti

XXXXVI

περιωτειλοῦται· περιουλοῦται· ὠτειλὴ γὰρ ἡ οὐλὴ λέγεται συνεχῶς·

TESTIMONIA 6 l. d. 23 8 l. i. 26 t. IIII 370 L 10 ἀγμῶν] c. 29 t. III p. 484 L 14 l. l. 30 t. IIII p. 372 L 17 ἀγμῶν] 11 t. III p. 456 L 19 l. c. 33 t. IIII p. 376 L

ADNOTATIO 1 μικρός Galen. comm. in Hippocr. de artic. 3 t. XVIII A p. 537. 604 K. τις add. schol. Theocr. IIII 49, qui uersum ita legit: ῥοικός τις εἴη κατὰ κνήμην ἰδεῖν. εἶδεν V: corr. Bergk 2 ῥοῖκοσ V ῥαιβὸς Dio Chrys. t. II 456 et Pollux II 193 ἀσφαλέως Galenus ἀσφαλῶσ V: Dio ποσσί Bergk ποσίν V 3 φησὶν V 6 Rufus p. 33 Clinch Phot. p. 100,20: de accentu cf. Theognost. can. p. 106,21 8 Galen. p. 452 Hesych. I 418 9 ἐστὶ V: corr. Daremberg 10 τάττων Daremberg τάττει V 11 ὁ μηρὸς γαῦσός ἐστιν ἐς τὸ ἔξω μέρος ἢ ἐς τὸ ἔσω καὶ ἐς τὸ ἔμπροσθεν μᾶλλον ἢ ἐς τοὔπισθεν Hippocr. γαῦσοσ ἐστὶν V: em. Daremberg 14 λυγγώδεις non sanum: fortasse λυγμώδεις 15 λυγγὸς scripsi λύγγους V 19 ὠτειλή: cf. Eustath. ad Il. p. 455,10. 1000,40 Etym. Gud. p. 182,31 Galen. p. 600

σπανίως δὲ τὸ ἕλκος. ἐν μὲν γὰρ τῷ περὶ ἀγμῶν καὶ περὶ ἄρθρων ὠτειλάς φησιν ὁτὲ μὲν τὰ ἕλκη ὁτὲ δὲ τὰς οὐλάς, ἐνθάδε μόνον τὰς οὐλάς. ὁ μέντοι Βακχεῖος ἐν πρώτῳ τὰς οὐλὰς ἕλκη καὶ τραύματα οἴεται εἶναι πλανηθεὶς οἶμαι ἀπὸ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας, ἔνθα φησί·

καδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπους ὠτειλάς.

schol. V Daremberg p. 212

ΠΕΡΙ ΝΟΥΣΩΝ

α̅

XXXVII

Κέδμα. ἡ χρονία περὶ τὰ ἄρθρα νοσώδης διάθεσις· τινὲς δὲ φασὶν καὶ τὴν περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια. schol. EGV Littré t. VI p. 144

β̅

XXXVIII

βλητοί· ὅσοι ὑπὸ ὀξέων νοσημάτων αἰφνιδίως τελευτῶσιν. schol. mss. Paris. ap. Foes. not. ad Hippocr. l. l. p. 691

XXXVIIII

κοτίς ἐστι τῆς κεφαλῆς ἡ κορυφή. schol. EV Littré t. VII p. 34

L

τερηδών· λέγεται σκώληξ ξυλοτρώκτης οἰκῶν ἐν ξύλῳ. schol. V e schedis mss. Cobeti

TESTIMONIA 1 *ἀγμῶν*] in hoc libro *ὠτειλή* non legitur — *ἄρθρων*] 11 t. IIII p. 106 et 112 L 5 T 25 11 De morbis I 3 15 l. c. II 8 18 l. l. II 20 20 l. l. II 24

ADNOTATIO 11 *κέδματα ἐστὶν* EG *φασὶν* om. V 12 Hesych. II 454 15 EM. p. 200,22 *ὑπὸ* scripsi *ἀπὸ* cod. Paris. *ἐτελεύτων* ante me edebatur 18 aliter Galen. p. 506 glossam falsam iudicauit Daremberg p. 205 *κοτίδος* omisso *ἐστι* E 20 Hesych. IIII 143 Phot. p. 578,11 Suidas *ὅπερ λέγεται σκώληξ ὁ ξυλοτρώκτης ὁ ἐν τῷ ξύλῳ οἰκῶν* GHK

LI

κύαρ· τὸ τῆς ῥαφίδος τρῆμα. καὶ τὸ τῆς κώπης τοῦ μήλου. schol. HV Littré t. VII p. 50

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΝΤΟΣ ΠΑΘΩΝ

LII

Ἀνωργισμένον· ἤγουν τετελεσμένον. schol. FGPϑ Mack t. II p. 350 Littré uol. VII p. 220

ΠΕΡΙ ΠΤΙΣΑΝΗΣ

LIII

Στέμφυλα· τὰ τῶν ἐλαιῶν ἀποπιέσματα λέγονται. καὶ ὅσα ταριχώδη τῶν ὀπωρῶν καὶ αὐτὰ οὕτω λέγονται. schol. FGZ Littré t. II p. 363

LIIII

ἀκρωτήρια· τὰ ἄκρα τῶν ἄρθρων. schol. FG Littré t. II p. 398

ΠΕΡΙ ΤΟΠΩΝ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ

LV

Ὁμοεθνίη· ἡ τοῦ σώματος συμμετρία καὶ ὁμοτονία. schol. mss. Paris. ap. Foes. oecon. Hippocr. p. 453

ΓΥΝΑΙΚΕΙΩΝ

α̅

LVI

Κενεαγγήσῃ· ἀντὶ τοῦ κενὸν ἐξ ἀσιτίας γίνηται καὶ τὸ πᾶν μὲν σῶμα, μάλιστα δὲ γαστὴρ καὶ ἔντερον. schol. ϑ Littré t. VIII 32

TESTIMONIA 2 l. d. II 33 6 De intern. affect. 21 10 *π. διαιτ. ὀξέων* 17 13 l. l. append. 2 16 De locis in hom. 1 t. VI p. 278 L 21 De morb. mul. 7

ADNOTATIO 2 Hesych. II 545 Galen. p. 508 *μήλου* Hesych. *μύλου φ* 6 *ὠργισμένον δοκεῖ μοι λέγειν τὸ τ.* FG 10 schol. Aristoph. eq. u. 803 Hesych. IIII 75 Lobeck Phryn. p. 405 *ἀποπνέσματα φ*: correxi 13 *ἀκρωτήρια* scripsi *ἀκρώτερα φ*

LVII

διάπνοον τὸν περὶ τὴν κοιλίαν· ἀντὶ τοῦ τὴν ἀναπνοήν· κοιλίαν δὲ τὸν θώρακα λέγει. schol. ϑ Littré t. VIII p. 32

LVIII

ὠδίς· οὐ πᾶς πόνος ὠδὶν λέγεται, ἀλλὰ [ὁ] κατὰ τὸν τοκετὸν ἐπὶ τῆς γυναικὸς μόνον λεγόμενος. schol. G Littré t. VIII p. 78

LVIIII

μῆλον· καλεῖται τὸ πρόβατον ἀπὸ τοῦ μέλλειν τὴν φροντίδα ἔχειν· οἱ γὰρ παλαιοὶ περὶ τὴν τῶν βοσκημάτων κτῆσιν ἐσπούδαζον μάλιστα. schol. G Littré t. VIII p. 128

LX

[φάκελον]· φάκελος χωρὶς [τοῦ] σ̄ τὸ φόρτιον καὶ τὸ ξύλον· διὰ δὲ τοῦ σ̄ σφάκελος ὁ μικρὸς τῆς χειρὸς δάκτυλος καὶ ἡ φλεγμονὴ ἢ φθορά, νέκρωσις, κάκωσις. schol. F Littré t. VIII p. 144

ΑΦΟΡΙΣΜΩΝ

LXI

Ὀδαξησμοὶ ἢ ἀδαξησμοί· ἔν τισι γὰρ τῶν ἀντιγράφων οὕτως εὕρομεν. εἰσὶ γὰρ κνησμοὶ μετ' ἐρεθισμοῦ, ὡς καὶ Μένανδρος ἐν Πλοκίῳ φησί·

τὸ μὴ τὰς τρίχας αἴρων καὶ τὸν ῥύπον διδοὺς
πιεῖν ἀνηδαξᾶτο, ὥστε μὴ πιεῖν.

schol. UV Daremberg p. 205

TESTIMONIA 2 l. c. I 7 5 l. l. I 33 8 l. d. I 63 12 l. l. I 68 17 Aphorism. III 25 t. IIII p. 496 L 18 Menand. Ploc. fr. XIIII t. V 1 p. CCLXIII Mein.

ADNOTATIO 2 ἄναπνον ϑ: correxi 5 EM. p. 821, 8 Hesych. IIII 319 ὁ addidi 8 EM. p. 584, 11 καλέεται G: correxi 12 φάκελον suppleui τοῦ addidi 13 μικρός: μέσος EM. p. 737, 52 Phot. p. 559, 18 17 ὀδαξυσμοὶ ἢ ἀδα αξυσμοί in U legit Daremberg 18 Πλοκίῳ Daremberg πλοκία φ 19 τομῇ schedae Cobeti αἴρων U αἰρῶν Daremberg σαίρων Egger μεστὰς τρίχας φθειρῶν τε καὶ ῥύπον Jacobi ἀνηδαξᾶτο Daremberg ἀνεδάξατο V ἀνεδέξατο U διὰ τὸν ῥύπον, διδοὺς | πιεῖν ἂν ἠδαξᾶτ' [ἔμ'] ὥστε μὴ πιεῖν Duebner coni. Ploc. fr. 1 ὁ δὲ μεστὰς [τὰς] τρίχας | ἐρίων ἔχων διὰ τὸν ῥύπον διδοὺς ἐμοὶ | πιεῖν ἂν ἠδαξᾶτ' ἄν, ὥστ' ἐμὲ μὴ πιεῖν Schneidewin l. s. l. p. 422 τῷ τὰς τρίχας μὴ ὁρῶντι τὸν ῥύπον διδοὺς | πιεῖν ἀνηδαξᾶθ' ὅς, ὥστε μὴ πιεῖν Goettling l. c. p. 6

ΕΠΙΔΗΜΙΩΝ

$\overline{\alpha}$

LXII

Βληστρισμός· ὁ ῥιπτασμός. οὕτω Βακχεῖος τίθησιν. ἐν ἐνίοις δὲ ἀντιγράφοις εὕρομεν βλητρισμὸν χωρὶς τοῦ σ̅, ὄντως δὲ τὸν ῥιπτασμὸν σημαίνει, καθὼς καὶ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιός φησιν· . . . . ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν πάλιν ἐκ πόλεως φέρων ἐβληστριζόμην ἀντὶ τοῦ ἐῤῥιπταζόμην. schol. DLQUV Littré t. II p. 686 Daremberg p. 206

$\overline{\delta}$

LXIII

βλεννώδεα· ἔν τισιν ἀντιγράφοις εὕρομεν πλευμώδεα, οὐκ ὀρθῶς. βλεννώδη γάρ ἐστι τὰ μυξώδη καὶ βλέννα ἡ μύξα. schol. V e schedis mss. Cobeti

$\overline{\varepsilon}$

LXIIII

ἐβλιμάσθη· ἐπτίσθη, ἐμαλάχθη, ἐθλίβη· εἴρηται δὲ παρὰ τὸ βλίσσειν, ὅ ἐστι μαλάττειν, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Ὄρνισί φησιν·

TESTIMONIA 4 Epid. I 13 aegr. 2 6 Xenophanes fr. 9 poet. lyr. gr. p. 380 Bergk, at uide adnot. 7 *uerba ἐγὼ — ἐβληστριζόμην ex scripto prosario, epistola fortasse petita.* Meineke uindic. Strab. p. 217 12 Epid. IIII 1 t. V p. 144 L 17 l. c. V 1 t. V p. 204 L 18 Aristoph. au. u. 529—30

